PARASYNAGMA PERTHENSE
ET
IURAMENTUM ECCLESIÆ
SCOTICANAE
ET
A.M. ANTITAMICA-
MICATEGORIA.



Anno M. DC. XX.

#4361

PREFATIO.



Vm Majestas Regia Anno 1597 in Concilio Nationali obtulisset jus suffragij ministris nomine Ecclesiæ in Comitijs Regni: quidam conscij consilij, Episcopatus ambientes Regi studium navarunt, hortantes fratres suos, ut oblatam occasionem amplecterentur. Multis bonis subolebat, aliquid monstri illos alere, & hac seta filum Episcopalis dominationis invehere conari. Ideo obnixi sunt, contendentes alienum esse a Pastoris officio judicare aut leges ferre in Comitijs, de herciscundis familijs, stillicidijs, ponderibus, mensuris, cæde, sanguine, proscriptione, & similibus: præterea profitentes suam zelotypiam de revehendo Episcopatu tam diserte damnato ab Ecclesia & ejerato. Illi solenniter protestati sunt nihil sibi aliud in animo esse, quam hoc medio recuperare patrimonium Ecclesiæ: disciplinam & politiam Ecclesiæ temerare nolle. Quidam magnificis promissis & phaleratis dictis circumducti fidem illis habuerunt: at sagaciores obluctati sunt. Rex intendit omnes nervos, ut acciperent quod specie benevolentiæ obtulerat: quod auxit suspitionẽ. Nam par odio est importuna benevolentia, & invito beneficium non datur. At multi nimis creduli & lactati spe vindicandi Ecclesiam ab inopia & contemptu cesserunt in aliam sententiam: multi perterriti presentia, & ira Regis: adeo ut vir pius Iohannes Davidsonus, qui horum semper nobis cantabat mores, coactus fuerit protestari scriptis contra violatam libertatem Synodi, cujus Protestationi die postero aut tertio subscripserunt 60 aut 70 Ministri revertentes à conventu illo. Ad Montem Rosarum anno 1600 perscriptæ sunt cautiones & leges quædam, quibus tanquam cancellis concluderetur, Minister qui sederet cum jure suffragij in Comitijs: ne Ecclesiæ disciplinam & jurisdictionem invaderet. Ambitiosi illi vulpinantes & cornicantes cautiones laudarunt & sacrosanctas fore polliciti sunt. Cum Rex iniisset regnum Angliæ jam nacti Regem potentiorem & ditiorem, sibi deesse tam opportuno tempore noluerunt. Cautum erat inter alia, ne qui sederet in Comitijs cum jure suffragij quid in Comitiis Ecclesiæ sine mandatis Ecclesiæ ageret sub pœna exauctorationis: Vt initi & administrati muneris in comitijs, Synodo Generali rationem redderet, ejusque judicio obtemperaret, &

 ceu-

censuras ferret sub pœna perfidiæ & excommunicationis. **Concilia Nationalia quotannis à præcedentibus Concilijs indicta prius fuerunt. Hanc** *Libertatem Legibus regni sancitam ut præcipuum Ecclesiæ propugnaculum & ipsorum conatibus obstaculum maximum tollere decreverant. Dies dictus à Synodo Nationali illorum Consilio & opera, & edictis regis sæpius prorogatus, donec tandem expiraret: atque ita non liceret secundum leges Ministris habere iterum Concilia Nationalia ut prius, quia nullis erat potestas indicendi nisi Regiæ Majestati aut ipsi Concilio. Qui convenerant Legati presbyteriorum Abredoniæ ad ultimum diem dictum anno 1605 quia prorogarunt diem illum in alium ut seruarent libertatem Synodorum in indicendis suis Concilijs, nondum lege abrogatam: alij in carcerem conjecti, alij relegati, alij exilio mulctati sunt. Tum cœperunt Ministri tyrannidem affectantes insolentius se pro legatis gerere in Comitijs Regni perruptis repagulis, & spretis cautionibus de electione ad munus illud, ejusdemque administratione. Sic laborarunt isti viri boni ne omnino rationem redderent tollendo Concilium Nationale. Sicut decoctores qui solvendo non sunt, in fraudem & circumscriptionem creditorum, dant operam, ne sit facultas ulla exigendi ratiunculas. Anno 1606 Ministri quidam quorũ authoritate & indicio maxime præpediti erant, ne cogitata perficerent, evocati literis regijs ad aulam & ibi detenti, donec in conventu Limnuchi habito Episcopaturiẽtes ampliorem potestatem obtinerent, nec unquam remissi omnes: imminuta etiam remissorum libertas fuit. Conventus ille ad Limnuchum habitus: cum jam ministrorum alij damnati Lesæ Majestatis, incarcerati, relegati, alij apud aulá detenti essent, non constabat tamẽ ex legatis presbyteriorum: sed quibusdam nominatis in literis regijs ex consensu & Consilio eorum qui Episcopatibus jam donati erant, & ideo vulgo dicti Episcopi non ratione officij sed beneficij, cujus investituram à Regè acceperant. Nominatis à Regia Majestate ijsdem literis imperatum est, ut convenirent non ad Synodum aliquam Nationalem sed ad deliberandum tantum de rebus quibusdam quæ Ecclesiæ rationibus conducerent, ut pacatius omnia gererentur in Synodo Nationali, quæ à Majestate Regia indicenda erat. Ibi vafritie & dolis obtinuerunt, ut in presbyterijs præsides perpetui, non temporarij præessent, & in illorum numero ipsi essent, in presbyterijs illis ubi ipsi pastorali munere fungebantur. Dimisso tamen conventu impositi sunt hi præsides invitis presbyterijs libellis*

bellis

bellis proscriptionem & pœnam rebellionis minantibus ac si conventus ille fuisset Synodus generalis. Eandem præsidentiæ perpetuitatem in Synodis Provincialibus ambiebant Episcopi illi, & quidem specie Canonis conditi in conventu illo. Sed animosius a Synodis reclamatum est, & qui interfuerunt in illo conventu, testati fuit coram Synodis, nihil statutum fuisse de præsidibus provinciarum. Atque ita deprehensi sunt in crimine falsi, vel saltem perspectum quorundam falsariorum impiis & impuris manibus insertam esse in Canonem clausulam illam de presidib. Synodorũ provincialium. Conventum illum ipsi Episcopi non nunerabunt inter Cõcilia Nationalia hujus Ecclesiæ. Nam ipsi ibi renovarunt sua promissa ut in fraudem alios illicerent, quibus stare tamen noluerunt. Anno 1610. mense Februario armati sunt potestate regia quam exercerent in Celsa, ut vocant, Commissione, ut delegati Regis judices in causis omnibus Ecclesiasticis, sive ad hæreses, sive ad Scandala in moribus spectarent. Virtute hujus delegatæ potestatis Regiæ potest unus Archiepiscopus cum quatuor coepiscopis, aut si libet quatuor sæcularibus catalogo inscriptis, judicare de omnibus subditis, de omni hæresi & scandalo in moribus, de temeratis Synodorum Canonibus, & exercere potestatem utriusque gladii, incarcerando, relegando, exauctorando, excommunicationem decernendo, mulctas imponendo, & pœnis rebellionis persequendo. Et tamen erant illi Episcopi adhuc tantum simplices presbyteri etsi vulgo dicti Episcopi ratione beneficii, cum tanta potestate instructi erant, ut terrorem omnibus incuterẽt. Cum jam ministrorum alii relegati, alii proscripti, & ipsi essent fortunis & dignitatibus aucti & potentia muniti, indicta est Synodus generalis à Majestate regia eodem anno habenda Glascuæ. Præsides presbyteriorum Classicorum constituti Consilio & opera Episcoporum in conventu ad Limnuchum celebrato cum duobus aut tribus sympresbyteris in singulis presbyteriis nominati sunt in literis regiis, quibus indicta Synodus: ut sic non sola potentia, sed pluribus munimentis insisterent. Delecti sunt ignavissimi, imperitissimi, corruptissimi, ab orcadibus, Cathanesia & aliis extremis oris de industria adducti: muneribus & largitionibus modicis allecti: Aureas en luteus minuebat malleus urnas. Episcopi præfuerunt, & dominati sunt pro libitu. Quis jam hiscere auderet, aut ipsorũ conatib. obsistere. Ipsi enim erant Domini parlamentarii, et quidam Regi à Consiliis in Senatu sanctiore: ipsi erant Episcopatuum proventibus ditati, Ecclesiarum multarũ patroni, quibus præsentatio competebat jure patronatus,

 ipsi

ipsi stipendiorum annuorum modiperatores, ipsi delegati judices Regis in Celsa commissione armati potestate utriusque glady. Quis igitur poterat esse certus non sibi fraudi fraudi fore libertatem sententiæ. Dictum ac factum, causam aliquam inveniet vulgo dictus Episcopus, quamobrem aut stipendium minuat vel auferat, aut in carcerem conyciat, aut ministerio destituat. Ibi erat præfectus satellitij, & circumstabant satellites. Cum quidam meditarentur protestationẽ, statim deterriti sunt. An mirũ igitur in hoc conciliabulo obnoxiam factam Episcopis omnem ordinis & jurisdictionis potestatem: ut nulla ordinatio rata esset nisi impositione manuũ Episcopi, nullus minister exauctorandus, nullus sive minister sive alius quantumvis flagitiosus excommunicandus inconsulto aut vetante Episcopo. Tres profecti in Angliam consecrati sunt Episcopi clam Ecclesia, imo nesciente nedum consentiente illa ipsa pseudosynodo: reversi alios consecrarunt, consecrati omnes statim deseruerunt greges & alys gregibus & pastoribus imperare cœperunt: atque in hunc diem tyrannidẽ exercent, potestate illa delegata Celsæ commissionis freti, ut arce munitissima, quam possident invita Ecclesia, et absque legum civilium authoritate. Integra manente jurisdictione & disciplina Ecclesiæ conservata est etiã castitas divini cultus externi. Ea labefactata aut potius profligata superstitiosi ritus obtruduntur, & invehuntur ab ambitiosis istis prælatis aulæ & ollæ mancipijs. Vt in seipsis veritatem & fidem axiomatis sui ostendant: nulla ceremonia, nullus Episcopus: et ut pateat, quam arcte conjuncta sunt hæc duo regimen Ecclesiæ & puritas externi cultus. Sunt enim instar gemellorum hippocratis, simul flent, simul rident, simul esuriunt, simul saturantur, simul convalescunt, simul commoriuntur. Quibus vero artibus & mediis hos ritus Anglicanos introducunt, disces ex Parasynagmate Perthensi ex quo uno de reliquis ipsorum pseudosynodis, judicare potes. Nam hujus instituti non est omnia tenuiter persequi. Qui perfidia plusquam punica & tyrannide invaserunt gubernacula Ecclesiæ percutiunt agnos, & ut lupi tamen queruntur de turbato fonte. Gracchos de seditione querentes in proscenium producunt, & pacem Ecclesiæ commendantes ipsi tollunt. Nihil aliud sonant strepunt crepant, clamant nisi sua parasynagmata. Nullibi obedientiam exigunt nisi in Celsa commissione. Ibi Spottisuodius Fani Andreæ, Iacobus Laüs Glascuæ Archiepiscopi sedent ut primarij, qui ob prophanationem Sabbathi olim, cum sympresbyteri essent in una Classe, prope privati officio sunt in

in Sy-

in Synodo provinciali: sed præpostera quorundam lenitate & indulgentia evaserunt impune: & justo Dei judicio reservati in perniciem Ecclesiæ. Quid de cæteris censendum putas: profecto unũ si cognoris omnes noveris, ac si omnes in eodem ludo edocti essent. Talis chori dignus præsultor est Spottisnodius primas, aleator, prophanus, impurus &: sed reprimam me. Sunt qui diœceses suas nunquam viderunt. Joannes Abrenethius iam quinquennium abhinc consecratus Episcopus Cathanesiæ habitat in plaga Australi ubi lucrum ex lotio & malis aliorum humoribus ut medicus, aut clauso & compresso frumento ut Dardanarius, iam multos annos prius percepit: Diœceseos vero suæ ne fumum adhuc vidit. Lambius Gallovidiæ Episcopus desidet ad portam Edinburgenam in vico Canonicornm ut Decanus Capellæ Regiæ, non in Gallovidia ut Episcopus: in eo imitatus prædecessorem suum Guilielmum Cowperum: & Iacobum Laüm cum esset Orcadum Episcopus. Simile de Rossiensi Episcopo patricio Lindesio & pluribus aliis dici potest. Adamus Bannatinus qui Græmum Dumblanensem Episcoporum excrementum, & Episcopatũ Dumblanensem excrementum Episcopatuum prius vocavit, eadem excrementa jam vorat ut resarciat rem familiarem imminutam & prope perditam: & tamen omnia perditurus videtur, tanto ære alieno obstrictus est. Patricius forbosius secundum legem parliamentariam id est per capitulum electus, non ab Ecclesia aut secundum ordinem Ecclesiæ, sed secundum ordinem abrogatum. Sunt qui Davum aut Syrum agunt, ut simpliciores ad conformitatem pelliciant. Et in hunc finem singulis fere scenis personas mutant, quæ pro re nata fabulam agant. Hic placidus ille severus & rigidior ceremoniarum Magister videbitur, prout scenæ servire secundum rationem temporis & personarum oportet. Isti sunt illi qui de pace de ordine de ædificatione domus Dei multa garriunt: qui silentio annorum viginti sex, & diuturna nostra patientia nunquam deleniti sunt. Sed ut ex aliorum incommodis & ruina Eeclesiæ sua compararunt commoda viperarum inster, sic pergunt: & in hoc ipso parasynagmate quod jam descripturi sumus sibi argentum cudebat Spott. ut æs alienum dissolueret. Exosi fuerunt omnibus sæculis tyranni sine titulo. At nostri falsi id est sine titnlo Episcopi, sola regia authoritate suffulti, sunt etiam facto tyranni: quibus nec ara, nec fides, nec ulla durant fœdera: quos nec amor, nec pudor neque misericordia reprimit aut reflectit. Professores Regii sunt soli christiani, si credere fas est: nostra vero professio in quam om-

omnes omnium ordinum cives prius jurati, odioso puritanismi nomine exagitatur: atque ita religio Ecclesiarum reformatarū per latera nostra summa nequitia transverberatur. Nos enim nihil aliud profitemur quā quod hos annos sexaginta omniū Ecclesiarum reformatarum confessionib. concinentes, professi sumus. Ipsi verò a puriore professione desciscentes, & ad temporū rationem se conformantes nos puritanos indigetant. O puritanos, puritanos clamant illi: occlamo ego, ô nequitiam, nequitiam! perfidiam, perfidiam! Denique huc sua Consilia & conatus omnes conferunt nostri pseudoepiscopi, ut in gratiam Regis introducant in nostram Ecclesiam totum regimen, & omnes ritus Ecclesiæ Anglicanæ, quam olim Bucerus questus est stare mediam inter Romanam & reformatas Ecclesias, & ex utrisque conflatam, teste Brichtmanno in Apocal. cap. 3. & in qua Petrus Cudsemius sacellanus Coloniensis observavit, ut ipse loquitur in tractatu de desperata Calvini causa, multa Catholicæ (id est Romanæ) Ecclesiæ vestigia. Præterea idem ibidem cap. 11. sic ait. Quod ad Calvinianæ sectæ in Anglia statum attinet, ille ita comparatus est ut vel admodum longo tempore durare possit, vel etiam subito & repente mutari, propter Catholicam, ibidem in perpetua Episcoporum suorum serie, legitimaque pastorum successione ab Ecclesia accepta ordinem: ob cuius honorem Anglos Calvinistas mitiore vocabulo non hæreticos sed schismaticos appellare solemus. *Læsa tam diuturna vigintisex annorum patientia in hæc paucula tandem erupit. Sed esset e re Ecclesiarum omnium rite reformatarum, ut pseudoepiscopi nostri pleniore aliqua Historia suis pingerentur coloribus, ut omnibus Dei Ecclesiis innotescat, qui & quales sunt isti, qui nobis tot tantas & tandiu dederunt turbas.*

PARA-

PARASYNAGMA PERTHENSE



CVm pseudoepiscopi, qui vi jam rerum potiuntur sparsissent invidiosos rumores, Regiam Majestatem adeo excanduisse ob Synodum Andreapolitanam proxime praecedentem, ut nulla jam amplius expectanda esset Synodus Nationalis: ex improviso tamen, vicesimo antè die indicta publico prçconio Synodus habenda Perthi 25 Augusti, ut sic oscitantes & incautos facilius more solito nos opprimerent.

Convenerunt ad praestitutum diem Regiae Maiestatis Legati, viri nobiles tres, Binningus Secretarius, Carnagius, Sconaeus, ex equestri ordine Proedroi ceu adsessores quatuor, Andreas Carus Farniheslius praefectus satellitij, Gedeon Moravius Vicethesaurarius, Guilielmus Levistonius Kilsithius, Guilielmus Oliphantus Regis Advocatus: Nobiles alij Lothianus, Ochiltrius, Bodius, Sancharus: Barones, Glennuquhartus junior, Clunigordonius, Wemius, Bonningtonovodius, Balvardus, Balcolmius, Balcarracius, Bombius, Laggus, Lutquharnus, Balmanuus: Episcopi omnes, exceptis Argatheliae & Insularum. Ministri circiter centum: cives circiter decem.

More laudatissimo comparatum est, & canone constitutū, ut primo die conventus divinam praesentiam jeiunio & precibus implorarent. Indictum est quidem jeiunium ab Ecclesiaste Perthensi die Dominico praecedente: verùm levis habita est jeiunij ratio, nisi quod habitae sunt eo die duae conciones. Vna & quidem satis jeiuna à Patricio Forbosio, qui fucato candore nuper adeptus erat Episcopatum Abredonensem. Textum Ezrae 7. 23. candidè, prout res postulabat, praesenti instituto non accommodavit, & statim suffragio suo refutavit. Alteram habuit Iohannes Spottisuodius Fani Andreae Archiepiscopus. Textum 1 Cor. 11, 16. vix summis digitis attigit. Statim digressus est in prolixam dissertationem de ceremoniarum utilitate vel adiaphoria in genere, deinde in specie de geniculatione in ipso actu participationis Eucharistiae, observatione dierum festorum, Confirmatione Episcopali, priuato Baptismo, & privata Coenae Dominicae administratione. Destitutus rationibus deprompsit testimonia quaedam e scriptis Calvini, Bezae, Martyris,

sed inflexa & sensu ab authorum mente prorsus alieno. Pluribus protestatus est se non prius intellexisse quicquam in externo cultu novandū, quam audivisset ex regia Majestate: Regem voluisse dictos quinque articulos absque ulla præeunte disputatione, aut suffragiorum numeratione in Archiva Ecclesiæ referri: Se vero retardasse, donec accederet Ecclesiæ cōsensus. Sit Rex huic rei caput & author: at actores strenuos se & sodales esse, & speciem consensus vijs & modis in adumbrata aliquā Synodo extorquendam recepisse, an negare audet?

Acta Sessione prima die Martis 25 Augusti 1618.

A concionibus secessit conventus in aliud templum. Spottisuodius Archiepiscopus Andreapolitanus occupavit locum medium inter Regiæ maiestatis Legatos. Epistola Regis dulce & amarum miscens, precibusque minas regaliter addens, bis lecta fuit. Deinde oratiunculam habuit Spottisuodius: in qua inter alia, hæc verba protulit. Si regi indulseritis in his quinque articulis, ô quanta est gavisurus gaudia! majori perfundetis lætitia animum eius, quam si possideret totum Indiarum aurum. Si vero morem non gesseritis certò sciatis universum Ecclesiæ ordinem subversum iri: Ministrorum alij stipendiis, alij officio exauctorati, relegati alij erunt, alij proscribendi & exilio mulctandi sunt. Tunc satis novi, nos Episcopos persequutores vocabitis: sed nos conferemus culpam in Regem; quem si persequutorem appellaveritis, adversabitur vobis universus orbis Christianus. Consulo igitur, ut iam potius annuendo Regis gratiam concilietis, quam postea cōformitatem ultro promittētes eandē frustra ambiatis. Hoc dicto simulavit penes se fuisse libellū supplicē Io. Scharpij exulis ministri: de qua re tunc nihil constabat.

Spottisuodij hortatu subsequutus Doctor Ioungius Decanus Wintoniensis, gente Scotus, qui literas Regis attulit, illius oratiunculæ verbis, prout visum est, subservijt. Pauca præfatus ad colligendam auditorū benevolentiam, enarravit, quibus dicterijs & conviciis, quæ acta essent in Synodo Andreapolitana, excepta essent ab aula Regia, ob denegatam Regi rem tantillam: Regis iram occasione illius Synodi ita accensam, ut tanquam flamma ignis iamiam eruptura sit in universum Ecclesiæ ordinem: nec alia ratione extingui posse, quam amplexando quinque articulos. Carpsit iuvenis veterem Ecclesiæ nostræ ordinem, cuius ille, puto, ignarus est: & ex ingenij petulantia finxit Pontificium & Puritanum

con-

conspirare si non contra Christum Dominum, at contra Christum Domini. Denique verbis ex industria concinnatis, inclinata & quasi flebili voce prolatis aucupabatur Synodi consensum.

Ministri assertores purioris cultus, & ordinis prius constituti, animadvertentes quorsum conciones, Literæ Regiæ, & oratiunculæ tenderent, hæc quatuor postularunt. 1 Postularunt novum præsidem eligi secundum ordinem, & canones Ecclesiæ. Respondit Spottisuodius, ut Gallus in suo sterquilinio, arroganter satis. Ego hic sum in mea provincia: videam ego quis sit ille, qui meam suscepturus est provinciam. 2 Postularunt, ne quis se pro legato gereret, qui legitima legatione destitutus esset. Respondit Spottisuodius, Regiam Maiestatem evocasse quosdam Nobiles & Barones, ut huic concilio interessent. Ministri responderunt, se nulla uti exceptione in honoratissimam ipsorum præsentiam, sed solum petere ut servetur ordo, quo cautum est, ne quis absque legitima legatione se pro legato gereret. 3 Postularunt ut quinque articuli uberiori forma, & iisdem, verbis conciperentur, quibus vellet Maiestas Regia eosdem in acta referri: quo facilius perpendi & examinari possint. Mittite nugamenta ista, & titiuillitia, respondit Spott. 4 Postularunt ut Actuarii & Notarii quidam seligerentur, qui argumenta partium fideliter & prompte scriptis exciperent, & ordine digererent ob totius Synodi faciliorem, & certiorem eruditionem. Ne sitis nobis molesti, inquit falsus præses Sp. questiunculis supervacaneis: De hisce & similibus tractabitur in privato colloquio.

Pergit Sp. & priusquam legati exhibuissent Scribæ legationum tabulas, & proinde adhuc incertus, quinam essent legati, ex quorum numero collocutorum delectus fieri debet: nominavit legatos Regis eorumque adsessores: Nobiles omnes: Barones & cives fere omnes: Episcopos & Doctores nuperos omnes: Ministros aliquot, quorum maxima pars prius in ipsorum sententiam adducta fuit. Pauci quidam sanioris sententiæ additi, quorum animos prætentare, & vires periclitari possent, ut in publico congressu eorum argumenta vel eluderent, vel vi supprimerent.

Acta in privato colloquio die Martis a meridie.

Regis Epistola denuo lecta est: quam subsequutus Sp. multas deblateravit minas ut prius. Affirmavit inter alia, de 4 articulis determinasse

Synodos habitas Abredoniæ & Fani Andreæ. In huius assertionis confirmationē tātum protulit pyctaciū, ceu breviarium quoddā, in quo cōprehensa erant capita earum rerum, de quibus instituta fuit collatio: & præterea nihil. Verum est, inquit, additæ sunt ab illis Synodis cautiones, & conditiones quædam. Sed respuit illas Regia Majestas, ut leges adscriptas in fraudem legis, quam desiderabat. Addidit excandescere Regem in Synodum illam Andreapolitanam, nec posse demulceri, nisi puro consensu. Quod si vellent Regem propitium, articulos illos purè & quintum de geniculatione, qui reliquus erat, missa disputatione suffragiis suis comprobent. Navata multum aliquorum opera, & plurium suffragijs tandem effectum est, ut instituerctur disputatio, priusquam ulla ferrentur suffragia.

Ministri vindices purioris cultus denuo petierunt, ut quinque articuli conceptis verbis præscriberentur: & Actuarij eligerentur, qui argumenta partium scriptis exciperent: sed operam ludunt. Postularunt, ut Episcopi eorumque adseclæ impugnarent ordinem prius constitutum, ut illegitimum, aut vitio aliquo laborantem: vel probarent articulos illos magis esse ex usu Ecclesiæ nostræ. Siquidem affirmanti incumbit probatio: & in pari causa potior est conditio possidentis. Ipsi erant possessores sexaginta annorum præscriptione muniti. Sp. respondit: quod si non oppugnaverint articulos, ostendent se contumaces, & rebelles in Regiam Majestatem. Ministri, cum scirent istud ipsum per calumniam petere, responderunt, non debere, nec satis commode posse pauperes & plebeios de quæstione ulla, cuius status esset res tam plena periculi, disputationē instituere. Si fide bona veritatem indagere vellent, de qua ipsi quidem non ambigerent, servandum ordinem curent, constitutum Perthi Regia Majestate consentiente anno 1597. nempe quòd ea quæ spectant ad Regimen ecclesiæ externū, proponerentur ordine & decenter, animo ædificandi non tentandi: ut in lucem proferatur explorata veritas, veræ unitatis certissimum fundamentum. Sed laterem lavant. Coacti igitur sunt in se suspicere onus probandi, ne haberentur refractarij, & rebelles. Die extracto ante institutam disputationem pauca quædam argumenta in medium allata sunt quæ adversarij convicijs, sannis, cavillationibus, tergiversationibus, interpellationibus refutarunt.

Acta die Mercurij in Colloquio matutino.

Spottisuodius horas oratiunculis, ut prius, contrivit. Instaurata disputatio & Ministrorum argumenta convulsa, ut in priori colloquio. Spott. navabat operam, ut abrupta disputatione, de geniculationis articulo suffragia ferrent. Ministri petierunt, ut articuli præscriptis verbis conciperentur, quibus in acta referendi erant, ne disputando aerem cæderent, & ne de re incerta & ambigua Synodus sententias diceret. Tandem plurium suffragijs decretum est, ut articuli conceptis verbis præscriberentur: sed ad hoc munus delecti sunt Episcopi quidam, & Doctores.

Acta die Mercurij in Colloquio pomeridiano.

Lecto Canone geniculationis, prout certis verbis præscriptus erat adnixus est Spott. ut statim sententias dicerent. Ministri vero obnitentes contenderunt, ne omnino dicerent. Præiudicium esse palam testati sunt non ferendum; quod pauci sub specie privati colloquij suffragia ferrent de re tanti momenti, & quæ spectaret ad totius Ecclesiæ usum, idque anticipatis plenarij Concilij sententiis: Collocutores esse tantum præsidis adsessores in privato Golloquio, eorumquæ operam esse tantum præformare ea quæ sunt in publico consessu tractanda, non audisputare, nedū decernere. Petierunt igitur, ne ordini publico suffragiis suis præjudicarent. Spott. respondit hunc ordinem observari in Comitiis Regni, ubi, quos vocant, Articulorum Domini ferunt suffragia ante sententias dictas in plenario conventu. Non temperabo, inquit, os impudens, quin committam viginti præiudicia, ut Regi gratificer. Rogatis Collocutorum sententijs maior pars vicit saniorem. Imo quidam, qui in privato colloquio sanam tulerunt sententiam adducti sunt Episcoporum opera, ut in plenaria Synodo aliam dicerent.

Acta die Iovis Sessione secunda ceu ultima.

Guielielmus Cowperus Episcopus casæ Candidæ sive Gallovidiæ olim acerrimus libertatis Ecclesiasticæ vindex, tunc pro ordine Hieraarchico strenuus

ſtrenuus miles, in utramque partem vehemens, vir levis & ingenij mobilis concionem habuit ante meridiem, ſed longe aliam ab illa quam habuit anno 1606 contra Epiſcopatum coram Ordinibus Regni convocatis Perthi ad comitia; ubi ipſe tunc temporis Paſtor fuit.

Convenerunt omnes à prandio in plenarium Concilium. Iam inquit Regis Legatus & Spott. habemus hic incluſam aſſiſam (ſic vocant juratam patriæ, ceu conſeſſum quindecim virorum qui decernūt in Criminalibus) non hinc exibitis, donec Regi ſatisfactum fuerit. Spott. contendit neceſſario cedendum eſſe. Ego intus & in cute, inquit, novi vos: non eſt unus veſtrum, qui in annum unum patietur jacturam ſtipendij pro re tantilla. Condito ſemel Canone, ego extorquebo obedientiam. In prioribus tamen conciunculis, ut meſcaret, dixit ipſis ſatis compertum fuiſſe ſe eſſe clementiorem quovis Epiſcopo Anglicano: & Regem fore etiam humaniorem in exigenda executione; dummodò illi indulgerent ſolummodo in canone condendo. Quidam, inquit, obtendunt conſcientiam: ſed revera metuunt magis amittere gratiam populi, quam Regis. Falluntur certè: nam ego pulchre calleo ſenſum populi. Non eſt dives aut pauper, ancilla vel ſervus qui non optat reſtitui hos ritus, exceptis paucis ſtrictiorem diſciplinam venditantibus: quod ipſe expertus ſum in civitate mea Andreapolitana. Videt tamen hodie pſeudoarchiepiſcopus iſte ipſum experientia redargui, & pios omnes obnixe obluctari. Pergit Spottiſuodius in lepida ſua oratiuncula. Projecta fuit, inquit, Edinburgi charta quædam dentata in ſuggeſtum templi: in qua aſſeritur Epiſcopos invehere papiſmum, & profeſſores ad arma conclamaturos pro conſervatione purioris & reformatæ religionis. Sciant iſti non ceremonias ſeparare nos à Romana Eccleſia, ſed idololatriam, cui ſi valedixerint, nos media via illis occurremus, & dextras jungemus. Vtinam inquit, ſi quid tale accideret, quale iſti minantur, crearet me Rex primipilum aut Imperatorem, tunc nullus iſtorum Thraſonum auderet caput exerere. Vtinam mitteretur hic miles glorioſus cum coepiſcopis & ſuffraganeis ſuis in Bohemiam. Huc denique ſpectabat tota oratiuncula, ut abſque omni mora ſuffragiis ſuis quinque articulos comprobarent.

Miniſtri modeſta quadam importunitate flagitarunt conſultationem maturiorem, & diſputationem publicam in plenario Concilio, in ple-

pleniorem omnium quorum interfuit, eruditionem. Ægre tandem concessa est disputatio in publico; sed circumscripta legibus, quas legati Regij, Episcopi, aut propugnantes alij imposuerunt. Noluerunt afferri in medium argumenta prius agitata in privato colloquio. Hoc pacto volebant ministrorum argumenta supprimi in fraudem aliorum, qui laturi erant suffragia. Cum repeterent argumenta ministri, statim responderunt, hæc non sunt nova. Si quando concessum fuit illis vel priora repetere, vel nova proponere, tamen non fuit datum persequi ad finem. Interpellati, increpiti, sannis & cavillationibus excepti, convicijs proscissi, minis oppugnati sunt. Multis ne accessus quidam patuit vel ad disputandum, vel ad audiendum; sed occlusus est omnis aditus, Nobilium, Baronum, Episcoporum famulitijs, aut alia spectantium turba. Cathedræ & scamna disposita Nobilibus, Baronibus, Episcopis & Doctoribus: Ministris nihil loci relictum est, nisi ut starent a tergo, ac si admissi essent tantummodo spectatores. Sed, ut dixi, ne hoc quidem licuit. Qui propugnabant, orare, perorare, cavillari, tergiversari, ridere deridere potuerunt, ac si nullo tangerentur sensu miseriarum gemiscentis Ecclesiæ, non sine offendiculo spectantibus. Firmissima illorum scuta erant Regis gladius temporalis, & ipsius eruditio. Cum allegaret unus ex Zanchio in 4 præceptum principium illud Theologorum Quod etiam adiaphora abusu & superstitione polluta sunt tollenda, & exterminanda ex Ecclesiis: Spottisuod. respondit judicium Regis Britanniæ præferendum iudicio Zanchij aut similium. Sæpissime vero potestatis Regiæ & iræ meminerunt. Quid ages inquiunt, vim ut queas ferre, ita vult Majestas Regia: alioquin, inquit & nos oppugnaturi essemus. Ministrorum unus obtestatus est Doctorem Lindesium, ut ingenue & ex conscientia libere proferret sententiam de geniculatione. Nam inter illos illo temporis articulo de illo articulo agitabatur controversia. Respondit Doctorculus: Fateor ex animo nos nulla niti scripturæ authoritate, ratione aut antiquitate: sed tantum ad amolienda mala ex Regis ira imminentia cedendum censeo. Iste Lindesius iam evectus est ad Episcopatum Brechinensem: atque hic honos illi pro hoc munere est habitus. Non mirum est novos & nuperos nostros Rabbinos Episcoporum partes tueri, cum ipsi Episcopatus ambiunt, & Doctoratus insignibus Candidatos se esse

se esse ostendant. De cæteris articulis fuit levis quædam velitatio potius, quam justa disputatio. Tanta festinatione properabant, ut ante noctem de 5 articulis statuerent. Fertur ex condicto expectatos fuisse hac nocte ab aula grammatophoros. Spott. palam professus est quod nec disputatione, nec suffragiorum numero prævalitura esset ipsorum sententia. Si non alij, quam legati Regis & Episcopi adessent, ipsi per se de his articulis statuerent.

Ministri vindices veritatis, cum animadverterent adversarios abrupta disputatione contendere ad exquirendas sententias, ut huic malo aliquā producerent moram, exhibuerunt in scriptis articulos quos iam seriò perpendendos, priusquam se præcipitarent ad ferenda suffragia. Necesse erat scriptis monere, cum viva voce nihil promoverent. Spott. ut deterreret à proposito, minitabundus imperavit exhibitori, ut subscriberet libello quem exhibebat. Suspicabantur Ministros protestatione facta in detestandam ipsorum iniquitatem, intercessuros, ne aliquid fieret. Quod quidem si comperissent, protinus coniecissent in carcerem. Erat ibi Sconæus vir stolide ferox, & talibus officiis assuetus, ad nobilitatis gradum Regis beneficio evectus. Erat ibi etiam satellitii præfectus, cui necesse erat ex officio parere legatorum & Episcoporum nutibus. Annon ad terrorem videtur compositum, ut hi duo in legatorum & adsessorum numerum adscriberentur. Recens erat memoria exempli editi in quosdam Ministros qui anno superiore subscripserunt protestationi in articulum quendam referendum in leges: nempe quod Rex adhibita Episcoporū & quos deligere vellet, quorundam ministrorum consultatione potestatem haberet ferendi leges de iis rebus quæ spectarent ad Ecclesiæ politiam externam. Protestatio ista sæpius exagitata est ab Episcopis, ac esset Crimen Læsæ Maiestatis, ut eo facilius protestationum remedia tyrannice supprimerent. Sed cum videret Spott. exhibitorem intrepide calamum a proximis petere, & paratum chirographo suo subsignare sumpsit libellum articulorum, quorum priores duos legit: reliquos perlegere noluit.

Articulorum hæc summa est. 1. Si amplexati fuerimus quinque articulos mutabimus ordinem Ecclesiæ nostræ pie & prudenter constitutum & firmatum Canonibus Ecclesiasticis, actis comitiorū Regni, Ecclesiarum reformatarum approbatione, & viva divinæ benedictionis experientia iam spatio annorum 58. 2. Si in colloquio Hamptoniensi obtinuit ista sententia pro Ecclesia Anglicana: Tolerandos potius nev

&

& errores in Ecclesia quam tentandam mutationem: non multo magis obtineret pro Ecclesia Scoticana. *Ipsa quippe mutatio etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat: qua propter quæ utilis non est perturbatione infructuosa consequenter noxia est ut ait August. ep. 118.* 2 Præbebimus scandalum Ecclesiis rite reformatis, & pontificiis occasionem insectandi separationem nostram, ut levem & temerariam, his aut similibus dictis. *Quoties non mutarunt suam quisque sententiam? Quod ædificant hodie cras destruunt. Hodie lapidem ponunt in fundamentum cæmentoque confirmant, quem postero die eruũt, & conterunt. Vbique revocationes, emendationes, novi fœtus, aliæ atque aliæ, quoties nova sententia placet, assertiones: alius deturbat alium, confusioni confusio permiscetur: atque interim scinditur studia in contraria vulgus: nec adhuc terminus aliud. Est quis nisi mente captus qui dicat istiusmodi artifices, reædificare Ecclesiam dei, quibus omnia incerta, fluxa, instabilia, contraria: quibus nulla dogmatum constantia, nulla animorum consensio. Antididagma Colon. p. 4.* Imo obfirmabitur pontificiorum spes & expectatio de restituendis cæteris ritibus. 3 Non possunt una consistere cum regulis Apostolicis fraternæ unitatis & concordiæ. *Omnia mihi licent at nõ omnia conferunt: omnia mihi licent sed non omnia ædificant. Omnia fiant ordine & decenter. Omnia ad Dei gloriam facite. Estote sine offendiculo & judæis & Græcis & Ecclesiæ Dei. Per omnia omnibus placentes, non quærentes suam ipsorum utilitatem, sed multorum ut serventur. Quicquid ex fide non est peccatum est. Vnusquisque in animo suo plene certus esto. Ne esca tua illum perdito pro quo Christus mortuus est &c.* 4 Patefacient aditum cæteris ceremoniis, & commentis humanis. Queritur Gerson *quod multitudine levissimarum ceremoniarum vis omnis Sp. S. quem in nobis vigere oportuit, & vera pietas sit extincta. Quanto magis accedit cumulo rituum in Ecclesia, tanto magis detrahitur non tantum libertati Christianæ sed & Christo & eius fidei Confess. Helvetic. cap. 27. Sed quamvis hoc neque inveniri possit, quomodo contra fidem sunt, ipsam tamen religionem servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior sit conditio Judæorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnoverint, legalibus tamen sarcinis non humanis præsumptionibus subijciuntur ait August. ep. 119.* 5 Attrahent secum disputationes, altercationes, rixas sicut prius eiusdem generis controversiæ in alijs Ecclesiis, ut Germanicis & Anglicanis. 6 Remorabuntur ædificationem Ecclesiæ. Nam quantum temporis impendetur in restituendis ritibus

illis, tantũ otij nactus Satan ſeminabit, & rigabit Zizania atheiſmi papiſmi, hæreſium & ſchiſmatum. 7 Inuremus notam imprudentiæ & inſcitiæ, vel majoribus noſtris piæ & fælicis memoriæ, quorum opera rite reformata fuit Eccleſia: vel nobiliſſis revehentibus in Eccleſiam perniciosos ritus à maioribus merito repudiatos. Beza Cnoxo *Magnum est hoc Dei munus quod una & religionem puram & eutaxiam Doctrinæ videlicet retinendæ vinculum in Scotiam intuliſtis. Sic obſecro & obteſtor hæc duo ſimul retinete, ut uno amiſſo alterum non diu permanere poſſe ſemper memineritis.* Idem *Quam recte illud quod Diſciplinam ſimul cum doctrina conjungitis, obſecro & obteſtor, ut ita pergatis ne vobis idem quod tam multis eveniat, ut qui in limine impegerint, progredi non poſſunt: imo etiam interdum ne velint quidem: quod longe miſerrimum est.* 8 Reſtauratæ opportunitates Bacchanalia & Saturnalia celebrandi laxabunt habenas impiis & Epicuri de grege porcis. 9 Damnati ſunt ab Eccleſia noſtra, ut doctrina Dei verbo contraria. 10 Legati presbyteriorum Claſſicorum probe norunt presbyteria & particulares Eccleſias refragari. Invitis Eccleſiis non ſunt obtrudendi. 11 Acta Comitiorum Regni pleno adhuc vigore militant pro ordine conſtituto adverſus hos ritus. 12 Miniſtri in ſuis ordinationibus ſancte polliciti ſunt coram Deo & Eccleſia ſe omnem doctrinam Dei verbo contrariam & inventa humana docentes pro viribus redarguturos. 13 Qui ſubſcripſerunt confeſsioni fidei ejerarunt hos ritus.

Præterea miniſtri oſtenderunt ſe paratos ad exhibendum in ſcriptis argumenta in ſingulos articulos. Denique poſtularunt ut aliquot ſaltem prodant dies, donec eadem argumenta Regiæ Majeſtati exhibita eſſent. Nihil impetrare potuerunt, tam iniqui erant adverſarij præ ſtudio, ut efficiant, quod cuperent.

Cum prope inſtaret tempus exquirendarum ſententiarum, iterum lecta Epiſtola Regis, ut poſtrema mentes auditorum occuparet. Miniſtri nunc tertio petunt, ut nullus ſuffragrium ferret, niſi qui mandatis & legitima legatione inſtructus eſſet. Reſpondit vir projectæ audaciæ Sp. Si adeſſet hic omnis Scotia, omnes ferrent ſuffragia.

Spott. rogator legis concepit ſtatum quæſtionis his verbis. Vtrum vultis conſentire, an oſtendere voſmetipſos immorigeros & contumaces in Regem. Verba ſolennia concepta ad diſtinguenda ſuffragia: annuo, abnuo, non liquet. Hac lege limitati ſunt. Qui unum articulum rejecerit, omnes repudiaſſe cenſebitur. Abnuentium nomina obſervāda

&Re-

& Regiæ Majestati exhibenda se curaturum dixit. Qui non suffragium inquit, feret pro Rege, non est pro Rege præliaturus.

Scribæ munus est notare & numerare suffragia, ut fide bona legem latam in auctoritatibus Ecclesiasticis perscribere posset. Sed Sp. sumpsit Catalogum, & rogavit sententias: 1 legatorum Majest. Regiæ, eorumque adsessorum. 2 Nobilium, Episcoporum, & Baronum 3 Doctorum & Ministrorum 4 Civium. In exquirendis Ministrorum sententijs non servavit ordinem provinciarum vel presbyteriorum: sed in prima acie collocavit, quos certo noverat assensuros & legem jussuros, ut jubentium numero percelleret eos, quos putabat legem vetaturos. Quorundam ministrorum sententias rogavit, qui mandatorum tabulas ostendere non potueruut: aliorum vero qui potuerunt non rogavit, ac si in Cæritum tabulas relati essent. Cum rogaret sententias, inculcavit sæpius hæc verba. Mementote Regis. Dinumeratis suffragijs renunciatum est vicisse numerum annuentium: atque ita deterior pars vicit saniorem. Legati Regij eorumque adsessores, Nobiles uno excepto, Barones, Episcopi omnes & cives, doctores omnes uno excepto & Ministri aliquot tulerunt suffragia iubentia legem de articulis: Vnus Nobilis, unus Doctor 45 Ministri vetantia: tres aut quatuor Ministri, non liquet. Quo volunt Reges vadunt Leges.

Nullitates Synodi Perthensis.

In more positum apud nos fuit a prima reformatione, ut Concilia Nationalia quotannis a Concilijs proxime præcedentibus indicerentur. Si quando Synodus pro re nata convocanda esset, præcessit legitima præmonitio, insinuata rerum gerendarum ratione, ut legati idonei eligerentur, & de actionis futuræ circumstantiis plenius & maturius erudiri possent. Hæc pseudosynodus indicta est tantummodo vicesimo ante die, rerum tractandarum materia, ea qua fieri debuit ratione, non expressa.

Acta Capitulorum olim infirmabantur, si Capitularium aliquis, qui haberet ius suffragij legitime citatus non esset: Item acta provincialum Synodorum, si Suffraganeorum aliquis non præmonitus, ut interesset: secundum regulas, Contemptus unius (nempe non legitime citati) plus obest, quam multorum (nempe præsentium) contradictio. Quod omnes tangit, ab omnibus curari debet. At deficiente hac legitima præmoni-

monitione, non interfuerunt omnes huic Concilio, quorum interrerat.

Synodus Nationalis supremum forum Ecclesiasticum in Scotiæ Regno eligere debet suum præsidem, sicut libertas totius Ecclesiæ, & Conciliorum Regiminis aristocratici recta ratio postulat. Præsidentia ista electitia, & mutabilis, canone constituta, & perpetua praxi confirmata, adeo studiose servta fuit, ut conventus perthensis convocatus literis Regijs ultimo feb. 1596. etsi condecoratus ipsius Regis præsentia, nobilium, Baronum, civium, ministrorum, non tamen aliter agnitus ut legitima Ecclesiæ Synodus, quam approbatum fuit in Concilio sequente, nempe quod esset legitima, sed extraordinaria idque ob dictam rationem. Primis decem annis nascentis Ecclesiæ superintendentes, sequentibus quatuor pseudoepiscopi, aulicorum opera invecti, non ausi sunt hanc Ecclesiæ libertatem temerare. Cum isti, qui iam regnum possident pseudoepiscopi, affectarent tyrannidem & præstruerent sibi viam ad dignitates, polliciti sunt se fore obnoxios Synodis Nationalibus. Subodorati tamen sunt viri boni quid molirentur: ideo cautum fuit ad Montem Rosarum anno 1600 inter alia, ne Ministri qui sederent cum jure suffragij in Comitijs Regni gererent se pro legatis in Synodis generalibus, nisi delegati essent à classicis suis presbyteriis. Multo igitur magis sequitur illos præesse non debere. Huic mori, legi, libertati nunquam fuit obrogatum in ulla pseudosynodo, nedum legitimo Concilio. Spottisuodius tamen, qui iura omnia exæquavit pretio, præsidentiam huius pseudosynodi non electus usurpavit.

In omni colloquio sive Concilio libero & legitimo disputatio omnis & collatio libera esse debet ab omni metu & periculo, vel quacunque re alia, quæ avertere potest disputantes ab indagandis veritatis vestigiis, ut olim Agatho scripsit ad imperatorem Constantinum. Imperator vel eius legatus præses ordinis humani, non causæ aut actionis Ecclesiasticæ interesse debet, non ad ostendendam virtutem sed confirmandam fidem, ait Martianus in Orat. habita in Concilio Chalcedonensi. Constantinus in Divali sacra ad Dominum Romanum Episcopum ait *Per Deum omnipotentem non est apud nos cujuslibet partis favor: sed æqualitatem utrisque partibus conservabimus, nullatenus necessitatem facientes in quocunque capitulo &c.* Non decet disceptantes disputare, ac si pro capite causam dicerent. Libera disputatio & legitima poscit, ut res cum re, causa cum

causa

causa ratio cum ratione concertet: non autem cum personis Protocollorum usus, cum postulatur ab alterutra partium, ad excipienda argumenta, maxime utilis est. At has æquas disputandi leges omnes respuit hæc pseudosynodus, & oppugnantes ministri concionibus, conciunculis, literis Regijs sæpius lectis interminationibus, interpellationibus, conviciis, cavillationibus, & dicteriis oppugnati sunt.

Totum est majus sua parte, & turpis pars omnis toti non congrua. Synodus est quasi totum, privatum colloquium quasi pars. In huius pseudosynodi privato colloquio pauci tulerunt suffragia in fraudem totius concilij. De ordine illo in Comitiis Regni, de quo supra Spottisuod. videant politici: nos duce Wittakero dicimus multo majorem cautionem in Synodis Ecclesiasticis quam in Conciliis politicis, adhibendam esse. Non debebat Spottisuod. ordinem Ecclesiæ absque Ecclesiæ consensu per se violare, & perfricta fronte præjudicia profiteri.

Libelli supplices, sana consilia, maturior consultatio nunquam repudiata sunt in sanis Consiliis. In insana illa quidem secunda Ephesina Synodo prædatoria dicta, Dioscorus qui vendicavit sibi primas partes, non passus est literas Synodicas occidentis palam legi. Noster Dioscorus non est passus brevem articulorum libellum exhibitum a Ministris, perlegi, nec ullam trahi moram. Quid cum illis agas, qui neque jus neque bonum atque æquum sciunt, melius peius, prosit obsit, nil vident, nisi quod lubet.

In omni Libero & legitimo Concilio suffragia publica libera esse debent a metu & terrore, secundum Regulam: *Nihil consensui tam contrarium est, quam vis atque metus, quem comprobare contra bonos mores est*. Variis artibus terrorem incutere, & quasi vi suffragia exprimere voluisse Episcopos docet superior descriptio. Suffragia debent etiam libera esse in alteram partem, non empta spe pretij: ut in hac parasynagmate.

Quæstiones multarum interrogationum captiosæ sunt: & ideo distinctę rogandæ sententiæ. At hic simul & semel, quasi per Saturam exquisitis sententijs, de farragine omnium quinque articulorum tulerunt suffragia, ac si de *pentaploo* contenderent.

In rogandis sententiis non negligendi qui legitima legatione instructi sunt: nec rogādi, qui eadē destituti sunt, sicut fecit Sp. in hac pseudo-

ſynodo: imitatus Diſcorum qui in ſecunda Epheſina alios expunxit, alios Catalogo inſcripſit, qui captivas manus impijs eorum ſubſcriptionibus negare non audebant.

Etſi multi interſſe poſſunt Concilijs, vel audiendi vel conſultandi, vel diſputandi cauſa: nulli tamen ſuffragia deciſiua ferre debent, niſi qui legitima legatione inſtructi ſunt. In hac pſeudoſynodo maxima pars tulit ſuffragia non inſtructa legatione legitima, ut patet ex inductione ſeſequenti.

1 Legati regis debebant unicum in ſolidum ſuffragium ferre; ſiquidē Majeſtas Regia vendicavit ſibi tantummodo jus unius ſuffragij. Præterea omnes legati debent eſſe liberi, non epiſtalmate ligati. aliud eſt mandata, ut mandatarium proponere, aliud ut liberum legatum ſententiam dicere.

2 Adſeſſores, legatorum Regiæ Majeſtatis conſiliarij tantum erant, & proinde nulla illis poteſtas ſuffragij. Quod ſi ullum ſuffragium ferrent, unicum tantum in ſolidum ferre debebant. Nam acceſſorium ſequitur principale.

3 Barones evocati literis Regijs, non emiſſi cum legatione legitima tulerunt ſuffragia in hac pſeudoſynodo. Non erant electi à Synodis provincialibus, ſicut ſtatutum fuit Edinburgi menſe Iulio anno 1568: nec conſenſu presbyteriorum Claſsicorum, ſicut ſtatutum fuit Taoduni menſe Martio 1597. & quidem præſente Regia Majeſtate. Conſtitutis per totum regnū locis quam maxime opportunis Claſsicis presbyterijs prior electionis modus antiquatus eſt. Præterea Taoduni etiam cautum eſt ut ex unius presbyterii regione unus tantum Baro mitteretur ad Synodum Nationalem.

4 Cives tulerunt ſuffragia non electi à Senatu civitatis & presbyterio paræciano, ut ſtatutum fuit anno 1568. nec conſenſu presbyterii claſſici ſecundum ordinem conſtitutum anno 1597. Vbi etiam cautum eſt, ut ex una quavis civitate, excepta Edinburgena, unus tantum civis mitteretur. At hic tulerunt ſuffragia cives plures etiam ab aliis civitatibus miſsi.

5 Epiſcopi non habent ius ſuffragii, quia non electi ſecundum ordinem communem conſtitutum anno 1597 nec ſecundum legem particularem latam etiam Maieſtate regia præſente & approbante ad Montem Roſarum anno 1600: id eſt, quia non electi à presbyteriis. Etſi in Paraſynagmate Glaſcuenſi prope extincta fui presbyteriorum poteſtas: illibata ta-

ta tamen mansit libertas mittendi legatos ad Synodum Generalem. Non est alia legitima ratio constituendi Comitia Ecclesiæ, quam ea quę præscripta est anno 1567. Episcopi in hac synodo non modo gesserunt se pro legatis: sed dominabantur pro suo arbitratu, & ex illorum nutu & imperio omnia pendebant. Has ipsas ceremonias prius in Ecclesias quasdam invexerunt veteri Ecclesiæ ordine nondum lege aliqua abrogato. Ideo præiudicij nomine inter reos potius stare & causam dicere, quam præesse & judicare debebant.

6 Andreapoli anno 1582 decretum est, ne presbyteria tenerentur mittere presides, legatos in Synodum generalem: sed ut liberum esset eligere quos censerent pro rerum gerendarum ratione maxime idoneos. In pseudosynodo habita Limnuchi anno 1606 præsidentia in presbyteriis prius mutabilis, & semestris, mutata est in perpetuam *prostasiam*. Vt autem hi perpetui præsides mitterentur tanquam perpetui presbyteriorum legati ad Synodum Nationalem, postea à falsarijs canoni illius pseudosynodi insertum est: nam de ea re in illo conventu nihil tale statutum. Et tamen virtute illius clausulæ supposititiæ præsides presbyteriorum complurium tulerunt suffragia in parasynagmate Perthensi. Præterea ipsi Episcopi non agnoscunt conventum illum Limnuchensem fuisse legitimam synodum repræsentativam Ecclesiæ nostræ. Nam ut imponerent conventui, multa polliciti sunt, quæ præstare nolunt. Denique mutata est ratio præsidentiæ: & qui iam præsunt, sunt ab Episcopis impositi presbyterijs, ut ipsorum vicarij. Si qui præsides emissi à presbyteriis intuitu illius clausulæ suppositiæ, ex ignorantia ortum est & errore. *Qui autem errat consentire non videtur*.

7 Ministri alij non delegati à presbyteriis tulerunt etiam suffragia.

Subducto numero eorum, qui legitima legatione instructi non erant, reliqui legem jubentes vetantibus superiores numero non erunt: & si numero non tamen pondere. Nam qui negativas dixerunt sententias, non blanditiis huc illuc impulsi perstiterunt in sana Ecclesiæ nostræ sententia. At qui tulerũt suffragia affirmativa, vel emẽdicata aut imperata erat ipsorum legatio: aut erant mercenarij annuis opimis servitutis auctoramentis corrupti: vel spe auctioris stipendij lactati ab Episcopis stipendiorum modiperatoribus: vel honoribus & dignitatibus inhiabant: vel suspectæ erant fidei ob munera à manu, accepta vel expectata: vel juti in alios articulos, quibus prius Episcopis sunt mancipati: vel minis

partim

partim publicè, partim privatim perculsi: vel præjudiciis privati colloquij capti: vel defectu liberæ & plenæ disputationis non satis edocti. vel episcoporum phaleratis dictis circumducti. Condite canonem tantummodo inquiunt, ut morem geratis Regi, non exigetur obedientia. Videte igitur utrum ponderanda an numeranda sint ista suffragia.

In omnibus causis pro facto accipitur id, in quo quis alium terrefacit, quominus fiat. Fassi sunt Episcopi & Doctores non fuisse ritus illos ex usu ecclesiæ nostræ, sed tantum ad demulcendum Regem, ne infensum infestum redderent, se consensum præbuisse. Ergo non erant simpliciter eorum suffrigia affirmativa, sed partim affirmativa partim negativa. Negativa ratione Iudicii, affirmativa ex suppositione malorum impendentium ex ira Regia. Annon Regiæ Majestatis est istos ornare ex suis virtutibus, ut se suspicione liberet.

Quod si dixerit aliquis parendum tamen esse huius Synodi decretis: quia non est privati alicujus judicare de nullitate Synodi. Verum est, quod via iurisdictionis vel Superordinationis, ut dicunt, aliud Concilium liberum & legitimum iudicare debet de huius Synodi nullitate. At iudicio discretivo potest quivis Christianus iudicare, ut omnes pii omnibus sæculis iudicarunt de hæreticorum Conciliabulis, non solum de decretis, sed etiã de forma & ordine procedendi. Aliud est discernere, aliud est decernere: illud potest quivis Christianus: At hoc solum legitimi iudices. An non refert qua authoritate imponantur nobis leges ecclesiasticæ. Valeat igitur libertas Ecclesiæ & sub specioso nomine Concilii introducat omnes Anglicanos ritus Lutheranismum, & integrum Papismum. Potest igitur quivis Christianus explorare, an sit Synodus legitime constituta secundum ordinem præscriptum ab ecclesia, sitne liberum, sitne procedendi ratio secundum leges, imo secundum ius naturæ & ius gentium.

Spottisuodius, qui prædicavit Regis humanitatem & suam clementiam in exigenda praxi, ministros alios privavit officio, alios relegavit in oras extremas. Ipse cum suis Coepiscopis in Celsa Commissione, non in Synodis provincialibus aut presbyteriis iudicat, & ratam habet illam Synodum; non obtemperantes gladio duplici sæculari & spirituali plectit. Cur non iudicant in ordinariis ecclesiæ curiis, Synodis & presbyteriis? Annon quia probe norunt presbyteros reclamare, & adstipulari nolle. Obtendũt tyrannidi & persequutioñi nomen ecclesiæ, bonum ecclesiæ, cum ipsi interim pro ludibrio habeant ecclesiam, & e

celsa

celſa Commiſſione, tánquam ex alta ſpecula in fratres ſecure, & faſtidioſe deſpiciunt. Ibi habent rata aut irrita, quæ libet. Ibi, ut ſeveri *ergodioctai*, & more dominorum dure dominantium, operas exigunt: idque Regis iuſſu & nutu, ut ipſi referunt. Ipſi tamen prius deferunt nomina detrectantium obedientiam, & deinde irruunt, ut Doegus, in Sacerdotes Domini. Hæc eſt ipſorum manſuetudo & clementia, ſi dura perſequutio clementia dicenda ſit. Videtiſne prudentiam noſtram dixerat quidam Epiſcopi duobus Miniſtris cum habita eſſet Synodus perthi, non poſſumus verbū *ordinamus* vel *ſtatuimus* in verbis diſpoſitivis Canonis de geniculatione, ſed tantum, *videtur:* nec ullam pœnæ ſanctionem addidimus. Sic condito Canone Regi gratificati ſumus, & tamē ad obedientiam nullus ligatur. An non potius dixiſſent, aſtutiam & fraudem, quam prudentiam. Ante Paſcha ſuperioris anni imperatum fuit Regiæ Majeſtatis nomine, Senatoribus Sanctioris Senatus qui Regi à Conſiliis, iudicibus in ſupremo foro civilium cauſarum, cauſidicis & ſcribis, ut ſecundum canonem geniculationis communicarent geniculantes, alioquin officiis & muneribus ſubmoverentur. Anno etiam ſuperiore menſe Novemb. in colloquio Andreapolitano dixit Spott. ſe nullam habiturum rationem uxorū, liberorum, aut familiarum, & neceſſario obtemperandum eſſe. Ibi lectæ Regia Maieſtatis literæ, quibus imperatum eſt, ut miniſterio ſuo deſtitueretur, quiſquis non obtemperaturus eſſet. Ibi Sconeus Regis legatus, ut imperata alia etiam ſi ſit opus perficeret. Nondum antiquatæ ſunt leges civiles, quibus ordo Eccleſiæ ſancitus erat, tamen ſine lege ſæviunt. Imo ſperamus Ordines in Comitiis rata non habituros talis pſeudoſynodi decreta, ſed paci Eccleſiæ, regni conſcientiarum pie conſulturos: & abſque inſania & dedecore nullitates Synodi in entitates, poteſtate quadam tranſcendente, non poſſe mutuare affirmamus.

Balcarres

IVRAMENTVM SCOTICANAE ECCLESIAE.



Doctrina, disciplina, & ordo Divini ocultis his medijs invecta in Ecclesiam Scoticanam, & ab eadem approbata atque constituta sunt Primo præeunte matura deliberatione, & libera disputatione profitebantur omnes sibi plene persuasum fuisse. 2 Congruentibus omnium calculis in liberis & legitimis Concilijs Canones conditi sunt, libelli de Disciplina compositi, & confessiones fidei editæ. 3 Ordines Regni in Comitiis eandem doctrinam & politiam legum sanctionibus firmarunt. 4 Praxis annorum 60 edocuit fœliciter restituta fuisse. 5 Omnes fere omnium ordinum cives in eandem doctrinam & disciplinam jurati sunt. Diruptis his vinculis 1 Sententiarum unitate 2 Synodorum celebrium authoritate 3 Comitiorum sanctione 4 Sexaginta annorum præscriptione 5 Iuramentis & juratis syngraphis, Pseudosynodus Perthensis consessu uno aut altero unicis suffragiis legē tulit de quinque putidis ceremoniis revehendis in Ecclesiam nostram. Non moventur pij authoritate huius Synodi, ut sentiant se non astringi vinculis hisce, aut salva conscientia posse recedere à puriore Dei cultu ad impios aut inanes ritus. Missis aliis vinculis nos in præsentiarum de juramentj solum vinculo disseremus.

Iuramentum præstiterunt non impuberes, non amentes, non ignari, sed fideles maturioris iudicij, sacræ Eucharistiæ participes, periurij naturam & pœnam intelligentes: & quidem magna cum libertate & alacritate, ut testantur ipsorum verba, quæ statim subiiciemus. Iurarunt, & syngraphis consignarunt Confessionem fidei anno 1580 1581 1582 Regia Majestas cum familia: Cuius exemplum subsequuti sunt omnes fere omnium ordinum cives: Sicut legimus olim factum diebus Asa 2 chron. cap. 15. ubi dicitur, Asam Regem & universum populum iniisse fœdus de requirendo Iehova ex toto corde & animo. Et iurarunt Iehovæ cum sono magno, clangore, tubisque, ac buccinis. Lætabantur

enim

enim omnes Iehudæi de isto juramento: nam ex toto animo suo juraverunt, quod cum toto studio suo requisivissent eum. Et in diebus Ioschiæ 2 Reg. 23. 3. Rex stans ad columnam una cum populo pepigit fœdus coram Iehova sequuturos Iehovam & observaturos præcepta eius, testimonia eius, ac statuta eius, ex toto corde & toto animo præstando verba fœderis illius, quæ scripta sunt in libro isto: cui assistebat totus populus in ipso fœdere. Iuratis syngraphis renovarunt idem fœdus cum Domino anno 1590 Majestas Regia cum familia, & omnium ordinum subditis. Tertio renovarunt idem fœdus, sed absque syngraphis anno 1596 primum in Synodo nationali, deinde in Synodis provincialibus, presbyteriis classicis, & particularibus Ecclesiis. Præter hæc tria fœdera universalia, subsignata est iuratis syngraphis Confessio fidei etiam alias data occasione, aut secūdum ordinem constitutum particulariter. Ab anno 1587 ad 1606 vel 1610 qui in Academiis renunciati sunt Magistri artium liberalium, subscripserunt Confessioni fidei priusquam donati sunt laurea. Ministri Lothianæ in Synodo provinciali convocata anno 1614 subscripserunt Confessioni fidei: quorū ex numero fuerunt hi duo, qui iam regnant Archiepiscopi Iohannes Spottisuod. & Iacobus Laiis. Qui peregre profecti sunt reverti in patriam eidem subscripserunt, si orta esset suspicio aut scandalum Apostasiæ. Subscriptio Confessionis fidei est jurata syngrapha. Nā in ipsa Confessione concipitur formula juramenti præstiti. Atque hæc de personis juramentum præstantibus.

Persona principalis, cui præstitum iuramentum est Deus. Nam etsi presbyteriorum præsides ut plurimum detulerunt iuramentum, Deo tamen præstitum fuit. Siquidem materia huius iuramenti erat res sacra & ad honorem & cultum Dei (etsi promissio iurata erat prolata coram præside & præsbyterio nomine Ecclesiæ, tanquam testibus) Deo acquiritur obligatio. Si quis promiserit aliquid Titio absenti sed coram Sempronio, Titius acquirit obligationem non Sempronius: Titius solus potest condonare promissum non Sempronius. Ad maiorem solennitatem præstitum est iusiurandum coram Ecclesia particulari, Synodo, vel presbyterio partim ad declarandam iurantis affectionem, & hac ratione potest dici iuramentum affectionis, sicut olim in iure Civili iuramentum in litem appellatum est, licet alio sensu. Partim ut se liberet ab ob omni suspicione hæreseos: qua ratione potest appellari iuramentum purgationis.

 Ratio-

Ratione materiæ juramentum Ecclesiæ Scoticanæ est & assertorium & promissorium. Assertorium concipitur his verbis in 2 Confessione fidei, ut extat latine in Syntagmate confessionum

Nos omnes & singuli infra subscribentes, post longam & debitam conscientiarum nostrarum examinationem in rebus ad veram vel falsam religionem spectantibus, protestamur nobis plene nunc persuasum esse de veritate ex Dei verbo, & per ipsius Spiritum.

2 Corde credimus, ore confitemur, manibus nostris subscribimus & constanter coram Deo & universo mundo affirmamus hanc solam esse veram Christianam fidem, Deo placentem, hominique salutiferam, quæ nunc ex Dei misericordia benedicti Evangelij prædicatione est mundo patefacta, quæque à pluribus Ecclesiis insignibus & regnis recipitur, & præcipue ab Ecclesia Scoticana, Majestate Regia, & tribus hujus Regni ordinibus, tanquam æterna Dei veritas, & unicum nostræ salutis fundamentum, ut particularius exprimitur in Confessione fidei nostræ stabilita & publice confirmata variis Comitiorum statutis, & prout jam multos annos Regia Maiestas totumque regni Scotiæ corpus profitebantur.

3 Cui Confessioni & Religionis Formæ nos libenter in omnibus Articulis assentimur in conscientiis ut certæ veritati Divinæ.

4 Omnē contrariā religionē & doctrinā abhorremus, & detestamur, præsertim vero omne genus papismi in genere, & particularia eius capita, prout & verbo Dei, & ab Ecclesia Scoticana damnantur.

Nominatim detestamur, & repudiamus usurpatam illā Romani Antichristi authoritatem in scripturas Dei, in Ecclesiam, in civilem Magistratum, & conscientias hominum: omnes ipsius leges tyrannicas de rebus adiaphoris contra Christianam nostram libertatem latas &c. quinque ejus spuria sacramenta, cum omnibus ejus ritibus, ceremoniis & falsa Doctrina administrationi Sacramētorum additis sine Dei verbo: crudele ipsius judicium in infantes sine baptismo ex hac uita decedentes: absolutam ipsius quam asserit necessitatem &c. dedicationem templorum altarium dierum &c. terrenam ejus monarchiam, cum impia Hierarchia &c. denique omnes eius vanas allegorias ritus, signa, & traditiones in Eclesiam præter vel contra Dei verbum, & doctrinam huius rite reformatæ Ecclesiæ introducta, cui nosmetipsos in doctrina, fide, religione, disciplina, & usu Sacramentorum, tanquam viva eiusdem corporis membra sub Christo capite libenter adiungimus.

Nos omnem hypocriseos, & fraudis, in isto cum Deo & Ecclesia negotis,

gotio, suspitionem amovere cupientes, protestamur, & invocamus scrutatorem cordiam & renum in testem, quod mente & corde huic confessioni promissioni, juramento, & subscriptioni plenè assentiamur, non quod movemur vllo respectu mundano, sed quia certi sumus in conscientia facti, cognitione, & amore veræ religionis Dei nostri per spiritum sanctum cordibus nostris impressæ, sicut illi responsuri sumus die illo quo secreta omnium manifesta fient.

Promissorium juramentum concipitur his verbis

Promittentes, & solenniter jurantes per magnum illud nomen Domini Dei nostri, nos perseveraturos in Doctrina, & Disciplina hujus ecclesiæ: quodque pro vocatione & potestate nostra defensuri sumus, omnibus vitæ nostræ diebus, sub poena omnium maledictionum in lege comprehensarum, & periculo corporis, & animæ in die tremendi illius judicij.

Materia in quam cadit vtrumque juramentum & assertorium & promissorium non continetur solummodo in secunda Confessione, sed etiam in prima, ut patet ex assertione 2 & 3 & 4. Nec quæ speciatim exprimuntur in vtraque confessione sunt sola & adæquata materia utriusque juramenti, sed omnia Papismi capita, quæ damnantur ab ecclesia Scoticana ut patet ex 4 assertione. At illa dicuntur damnari ab ecclesia aliqua, quæ damnantur in Synodis Nationalibus Canonibus, & censuris ecclesiasticis: item quæ contraria praxi, & doctorum vnamini consensu, ut superstitiosa repudiantur, aut libellis de disciplina & politia Ecclesiæ editis authoritate publica, ut Papismum redolentia reiiciuntur. At in 2 Confessione fidei damnatur impia illa Hierarchia de qua in Concilio Tridentino, nempe quæ constare dicitur ex 3. ordinibus episc. presb. Diacon. Imo ante editā hanc fidei confessionem damnatus episcopatus in Synodis nationalibus, & secundo de disciplina libello: qui etsi relatus erat in archiva ecclesiæ in perpetuam rei memoriam post editam confessionem fidei, prius tamen congruentibus omnium suffragiis anno 1578 comprobatus est, post varias consultationes, & disputationes, tum publicas in Synodis generalibus, tum privatas in colloquiis a Synodis impetratis. Damnatus item episcopatus speciali Canone an. 1580. quo anno Majestas Regia cum familia subscripsit confessioni fidei. Anno sequente diagramma presbyteriorū in omnibus regni regionibus constituendorū descriptum ab illo qui fuit Regi a Commentarijs, missu est a Regia Majestate ad Synodum Glascuæ conuocatam: ubi in authoritatibus ecclesiasticis in sertum est. In Comitiis Regni anno 1592 potestas & jurisdictio Synod. Nation. & provincialiū, presbyteriorū classicorū, & paræcianorum

rum sancita est; & proinde episcopatus Diœcesanus etiam ab ordinibus Regni profligatus est. Quis concionator pro suggestu publice, & sæpe sæpius eundem episcopatum non damnavit. In confessione fidei priore cap. 22. damnantur adulteratio sacramentorum, actionisque depravatio tam in forma externa quam in fine, & aberratio ab originali puritate, commentaque humana in ipsius administratione: & proinde geniculatio in actu participationis Eucharistiæ. Disertis verbis eodem capite damnatur adoratio in Coena. In libro priori de disciplina cap. 2. accubitus ad mensam, & elementorum divisio, ceu distributio facta, a communicantibus commendantur, ut genuinæ institutionis Ceremoniæ, & proinde geniculatio damnata. Anno 1572. in Comitiis regni commendatur administrationis forma vsitata in ecclesia nostra, ut pura & genuina. In secunda confessione fidei damnantur omnes ritus additi administrationi Sacramentorum sine verbo Dei. At talis ritus est geniculatio in Cœna. Anno 1591. in Synodo Nationali statutum, ne sacramenta administrentur more Papistico. Denique perpetua ecclesiæ praxi, & doctrina damnata est geniculatio. Observatio dierum festorum omninum solo die Dominico excepto damnata in priore de disciplina libello capite primo, & Papisticis erroribus annumeratur. Nam non solum errores qui irrepserunt sub Antichristo adulto, sed etiam nascente, censendi sunt errores papani. Errores ipsius ecclesiæ Orthodoxæ straverunt viam Antichristo, qui sedet in templo Dei. Anno 1566. approbata a Synodo generali posterior Confessio Helvetica, sed cum exceptione dierum festorum, etsi in honorem Christi dedicatorum. Item anno 1575. & 1577. & in Comitijs Regni anno 1592. Si quis concionaretur die festo anniversario, nisi incidisset in diem statum, & ordinarium, non euasit impune. Si confluerct populus ad conciones die ordinario in quem incidisset ille anniversarius, frequentius more solito, acriter a cõcionatore exceptus fuit. Regia Majestas in Synodo Nationali habita anno 1590. publice gratias egit, quod natus esset Rex in ecclesia omnium, quæ in orbe toto sunt, purissima & maxime sincera. Sincerior Anglicana, Nam ipsorum liturgia inquit, est Missa Anglice male celebrata: sinceriore etiam Genevensi: nam ibi observant Pascha & pentecosten, sed qua authoritate, inquit majestas Regia. Tantus sequutus est applausus Synodi, ut fere ad quartam horæ nihil aliud actum, quam manuum plausibus aut laudibus gratulationem suam ostendere. In confessione fidei secunda damnatur dierum dedicatio. Quinque spuria sacramenta

cramenta. Damnantur in secunda Confessione fidei, & proinde episcopalis confirmatio. Nulli admissi ad Coenam, & adultorum, ceu communicantium coetum, de quorum vitæ probitate & peritia non prius constabat. In hunc finem instituti sunt in Doctrina Catechetica, & examinati sæpius. Quod ad confirmationem episcopalem, pro inutili & ludicra Ceremonia a nobis semper habita est. Absoluta baptismi necessitas damnatur in secunda Confessione fidei, & proinde privatus baptismus, qui necessitatis opinioni innititur. Privata sive baptismi, sive cænæ Dominicæ administratio damnata in priore de disciplina libello, & actis Synodi generalis anno 1581. Materia igitur in quam cadit utrumque juramentum fuit purus putus puritanismus, ut jam volunt perfidi & periuri. Nam si materia illa de qua diximus, fuit puritanismi materia fuimus omnes a prima reformatione non modo Puritani, sed etiam jurati Puritani. Iuramentum promissorium ratione materiæ est votum juratum vel juramentum ad modum voti. Nam votum est solennis promissio facta Deo de re sacra in honorem & cultum Dei. Et quamvis usitate nuncupantur vota non absolute sed respective & conditionaliter si nempe hoc vel illud impetravero, tamen etiam absolute facta Deo promissio de re sacra dicitur votum, ut in baptismo. Quando igitur votum juratum cadit in rem lege præceptam, ut in nostro juramento, qui præstat juramentum promissorium, præterquam quod ligatus est lege ex officio communi, ligatur etiam particulariter duobus alijs vinculis nempe voti & juramenti: Et proinde qui violat, non est simpliciter transgessor, sed etiam periurus & votifragus.

Quod ad formam & modum juramentum fuit præstitum non per simplicem contestationem invocando Deum ut testem, sed cum dira execratione, & imprecatione mali, non temporarij, & temporalis tantum, sed etiam æterni & spiritualis, ut patet ex verbis promissorij juramenti, qua execratione dira magis & tremenda ne mente quidem concipi potest. Vtinam semper sonarent verba illa in auribus pseudoepiscoporum & aliorum omnium qui jurati sunt in confessiones fidei, sicut tuba novissima visa est sonare Hieronymo. Repete lector & perpende verba.

Finis hujus juramenti, ceu voti jurati erat, ut se arctius obligarent professioni purioris & reformatæ religionis, & alios de sua professione certiores redderent.

Effectus & vis hujus juramenti est obligatio. Iuramentum ligat si materia juramenti sit licita & debita. At materia juramenti nostri erat

licita,

licita, & debita materia, verboque Dei consentanea. Qui folijs ficulneis conantur tegere pellucida sua periuria contendunt has ceremonias esse res adiaphoras, & proinde non fuisse debitam iuramenti materiam: quia iuramentum non debet præstari de rebus adiaphoris. Isti inurunt notam inscitiæ ecclesiæ nostræ, ac si non satis prudenter secernere potuisset iuramenti materiam debitam a non debita: Et sibi ipsis notam temeritatis, quòd de eadem materia iusiurandum tam solenne præstiterint. In assertione 6. iurantes protestantur se ex certa scientia iuramentum præstare. Vel igitur ligat promissorium iuramentum, vel periuri omnes eramus in præstando assertorio. Non erant hæ ceremoniæ res adiaphoræ iudicio ecclesiæ nostræ, cum edita confessio fidei & iuratis syngraphis subsignata fuit. Nunc verò, qui conformant se ad rationem temporum adiaphora esse clamitant, non has modo quinque ceremonias, sed omnia etiam alia, quæ obtrudenda ecclesiæ prævident, ut secure in utramque aurem dormiant. Nos asserimus, ut prius in iuramento assertorio protestati sumus, non esse hæc adiaphora. Non est quilibet gestus in participationis elementorum sacramentalium actu licitus. Ille gestus qui destruit ritus institutionis est illicitus. Geniculatio in actu participationis eucharistiæ non congruit mensæ, a qua denominatur sacra Cæna, mensa Domini. Nam geniculans accipit e manibus ministri elementa. Perinde est igitur geniculanti sive mensa sit, sive abacus, sive scamnum, ubi elementa ponuntur. Nam usus mensæ proprius tollitur, quo convivæ secundum exemplum Christi, & apostolorum accumbere vel adsidere debeant mensæ convivantium in speciem: & proinde species convivij tollitur, qua specie Christus celebravit primam Cœnam. Tollitur fractio sacramentalis panis post gratiarum actionem. Mutatur ennunciativa forma verbi sacramentalis, Hoc est corpus meum, in precatiunculam secundum stylum Gregorianum, Corpus domini nostri servet te corpore & anima in vitam æternam. Mutatur generalis forma verbi sacramentalis in specialem & particularem, *Quod pro vobis frangitur, pro vobis effunditur*, *accipite*, *edite* & profertur in singulari numero, *pro te accipe tu ede tu &c.* Tollitur præceptum Christi, *Dividite inter vos.* Nam distributio communicantium non potest consistere cum geniculatione in actu participationis. Tollitur illa significatio amicæ invitationis & admissionis animæ ad mensam spiritualem, quæ accumbendo repræsentatur. Præterea peccatur in 2 præceptum geniculando in actu participationis 1 per *ethelothreskeian* 2 per speciem mali,

mali,& conformitatis cum idololatris 3 per occasionem & provocationem ad idololatriam 4 per idololatriam. Nam geniculatio imperatur ob reverentiam sacramenti. At geniculari ob reverentiam est adoratio proprie dicta: & proinde geniculari ob reverentiā sacramenti est adorare consecratam creaturam. Et si imperaretur ob precatiunculam Gregorij, tamen non exuit naturam idololatriæ. Nam cito absolvitur precatiuncula, eaque absoluta tamen non absolvitur geniculatio. Et in ipso actu mens non solum orat, sed etiam meditatur, & perpendit analogiam signorum & rerum significatarū, aures percipiunt verba prolata, manus apprehendit elementa. At hæ actiones internæ, & externæ, non sunt actus adorationis, & tamen sunt interim participes genuflexionis, Respectu ergo signorum etiam & sacrarum rationum, seu rituum usurpatur geniculatio, & proinde signa & ritus adorantur. Etsi mente concipi posset geniculationis tempore durare utramque actionem & orationis & participationis, tamē utraq. actio erit particeps illius gestus, ad modum confusionis Babylonicæ, orando & interim auribus, oculis, manibus, mente aliud etiam agendo. Observatio dierum festorum, hoc est, anniversariorum sub novo testamento non prohibetur, quia in se mala: alioquin Deus non imperasset sub vetere testamento, sicut nec sacrificia sed est mala, quia prohibita. Æstimare diem præ die ratione alicuius mysterii peracti, vel operis, vel beneficii peculiaris, quod obtigit illo die, eamque æstimationem significare cessatione ab omni opere servili & speciali ac propria Liturgia, ut propriis homiliis, collectis, lectionibus, epistolis, & Euangeliis, est observare diem. At observare diem est prohibitum sub novo testamento. Anniversaria commemoratio beneficii una cum cessatione ab omni operibus servilibus, & propriis liturgiis erat Iudæis rudimentaria & elementaris instructio, quia adhuc erant sub prædagogia legis. Sub vetere testamento hebdomadria diei septim observatio fuit pars legis moralis ceu decalogi: sed anniversariorum dierum observatio erat pars ceremonialis legis, & festis tribus maxime solennibus ascenderunt Hierusalem ut celebrarent festa illa: quia ibi erat templum theatrum ceremoniarum iudiciarum. Hebdomadaria diei septimi obseruatio non est abrogata à Christo, & Apostolis, quia pars legis moralis, sed tantum mutata in alium diem. Anniversariam observationem penitus abrogarunt, non mutaruntin aliam. Cum Christus & Apostoli mutabant statum veteris testamēti in nouum, tunc erat opportunum tempus statuendi aliquid de festis anniversariis. Galatæ & Collossenses non

observarunt dies cultu judaico, sacrificiis & oblationibus, alioqui non essent Christiani, quippe ita negassent Christum venisse in carnem: sed cultu Christiano, & tamen, quasi judaico, nempe anniversario cultu & peculiari. Ideo Apostolus obiurgat Galatas quod retroflexis vestigiis conversi essent ad infirma & egena elementa. Lenius agit Apostolus in epistola ad Romanos cum infirmioribus, qui nondum satis edocti erant Christianam libertatem. Iohannes, qui vixit ad Trajani tempora, dicit se fuisse correptum spiritu die dominico. Non erant igitur plures dies anniversarij instituti ob solennem memoriam beneficiorum Christi. Alioqui Apostolus distinguendo indicasset quo vel quali die dominico fuit raptus in spiritu; in festo nativitatis, resurrectionis, an ascensionis. Dicitur hic dies hebdomadarius dies Dominicus non quia institutus in memoriam solius resurrectionis Christi: alioqui singulis diebus dominicis resurrectio Christi esset propria materia officii Divini, & sacræ liturgiæ. Sed, ut ipso nemine doceret illum Domino consecratum esse debere in memoriam & commemorationem omnium eius beneficiorum. Celavit Christus diem Nativitatis, & aliorum, qui ab illius diei computatione pendent. Si opus diei in die suo prædicandum, & in eius memoriam cessandum ab opere servili cur celavit Dominus dies illos. Aliud est recolere memoriam beneficiorum Christi, quod prædicatione Euangelij & sacramentorum administratione die illo Dominico, vel aliis hebdomadariis perficitur, item quotidianis piorū sive publicis, sive privatis, sive secretis exercitiis: aliud observare diem festum anniversarium in particularis alicuius operis, aut beneficij memoriam. Confirmatio Episcopalis est, ut ipsi aiunt, externum medium quo confertur gratia spiritus sancti. Gratia quæ confertur est robur & auxilium contra tentatioues ad peccandum. Hic confertur septiformis gratia spiritus sancti. Hic perficitur gratia Baptismi, & plenitudo Christianismi. Estne igitur spurium sacramentum Confirmatio episco-palis, & reservatum Episcopo, non concessum singulis presbyteris ob honorem sacerdotij episcopalis, vel potius, ut Beda ait, propter arrogantiam. Non est mirum tales patres talem partum sibi solis vendicare. Nam ipsi sunt spurii, quos pater noster non agnoscit pro legitimis filijs in domo sua. De Episcopatu ipso nihil jam amplius dicam, tantum lectorem mitto ad Buceri dissertationem, & Parkeri libellum tertium de politia Ecclesiæ. Sacramenta sunt non modo signa & sigilla rerum invisibilium sed etiam testimonia publica, & protestationes fidei, pietatis, gratitudinis

coram

coram mundo. Ecclesia non minister solus recipit iniatos sacramento baptismi, vel adultos adcœtum communicantium, sicut non minister solus, sed Ecclesia etiam conscia & consentiente eiicit flagitiosos & contumaces. Privata administratione sacramentorum inducitur neglectus & contemptus sacramentorum in publico cœtu. Clinicus baptismus ortus est ex opinione necessitatis baptismi, & eadem opinione nititur. Clinica cœna similiter orta ex opinione necessitatis viatici, eandemque fovet. Privata baptismi administratio rebaptisationem inducit. In liturgia Anglicana, cum de recta administratione privata dubitatur, repetitur in publico cœtu his verbis, *Si non sis baptisatus N. baptiso te in nomine patris & filij.* Et quid si prius baptisatus, an non jam rebaptisatus. Edita est confutatio harum quinque ceremoniarum lingua nostra vernacula, quam data occasione & volente Domino latinam & auctiorem dabo. Si hæc pauca quæ jam attuli, propter br i-tatem obscuriora sunt, pleniore illa confutatione explanabimus. Interim, credo lector, sat vides, quod non sunt ut volunt adiaphoristæ nostri, qui alienissimo Ecclesiæ tempore foro uti sciunt, pura puta adiaphora istæ ceremoniæ. Sed detur esse merè adiaphora, possunt tamen etiā adiaphora fieri debita materia juramenti, non quidem adiaphora, ut sic, id est salua indifferentia. Nam sic juramentum præstaretur de actu otioso & inutili, ut si quis juraret se levaturum festucam de terra. At adiaphora relata ad utilem finem & bonum jam non amplius sunt in usu mere adiaphora, etsi natura sua & per se sint adiaphora, sed fiunt bona & materia debita juramenti: nec de ea re ulla est controversia inter Theologos. Ingredi in ædes talis viri est actus indifferens sed si ortum fuerit scandalum ex frequenti abusu lusus, vel nimia familiaritate cum ancillis potest quis ob maiorem cautelam vel vovere vel jurare se non ingressurum domum talis vicini, quia omissio illius actus relata ad securitatem animæ, & famæ, est jam de genere expedientium & proinde bonorum. Si igitur Spottisuodius Andreapolitanus, Lambius Brechinensis vel quivis alius episcopus flagrans infamia ob frequentem usum chartarum, alearum, aut ancillarum, voveret vel juraret se non ingressurum in ædes N & N & N hac ratione, an non ligaretur voto vel juramento? Maxume secundum omnes Doctores. Sic etsi daretur geniculationem, & cæteras illas ceremonias esse res adiaphoras, potest ecclesia licite vovere, & iurare ommissionem illorum actuum, quia sunt periculosi & in superstitionem & abusum commutati, numquam vero necessarij. Et ob superadditam hanc relationem ob majo-

rem cautelam, & animæ securitatem, omissio illorum actuum fit materia debita voti, vel juramenti. Adiaphora, quorum usus nunquam necessarius, polluta superstitione, idololatria, opinione cultus, & meriti, licentia carnalium observantiarum, aut similibus, sunt ex Ecclesiâ eliminanda. Iuramentum est lic tum de re licita & bona si non sit impeditivum melioris boni. Meliora bona intelligunt scholastici opera superogationis aut statum perfectionis in regulari aliquo vitæ genere. Ipsis placeat commentum suum: exceptionem generalem tamen admittimus, nempe rem licitam, si sit impeditina majoris boni, non esse debitam materiam juramenti. Potest quis seruire Deo, ut laicus: sed si sit donis instructus non potest jurare se non serviturum in ministerio. Adiaphora non sunt per se bona, & proinde alia alijs non sunt meliora, servata adiaphoria: sed tantum, ut relata ad meliorem finem. At geniculationis & cæterarum ceremoniarum usum posse referri ad meliorem finem, & magis ædificare posse Dei Ecclesiam (Nam hic est finis proprius, et usus omnium ceremoniarum, spiritualis nempe animarum ædificatio) quàm earum omissionem, puto, non affirmabunt adiaphoristæ, & professores Regij. In parasynagmate perthensi fassi sunt palam ecclesiæ ordinem fuisse multo præstantiorem. Imo ne fingi quidem potest melior finis in usu, quam omissione. Geniculationis usus in divino cultu semper est ob adorationem. Quomodo potest hic actus adorationis simul & in uno instanti consistere cum actu participationis qui non est actus adorationis, sed actus diversi generis, nisi confundendo actus, vel communicando adorationem rebus participatis. Quomodo potest observatio dierum anniversariorum cum cessatione ab omni opere & propria liturgia referri in præstantiorum finem quam commemorationem beneficiorum Christi? Et tamen illa ipsa relatio non tollit commemorationis modum, nempe cum anniversaria celebritate & diei observatione ut diximus. Sic potest lector percurrere reliqua. Si solum ob iram Regis consensisse se dicent, an ita fidem liberabunt. An juramentum violandum ob damnum temporale, idque incertum & ex Divina pendens providentia. Amnon & cor & manus Regis in manibus Domini, qui in numerato habet omnes capillos capitis nostri & ponit lachrymas nostras in utte suo. Sed ad rem. Si non valet, quod ago ut ago, valeat eo modo quo valere potest. Si non valet juramentum, ut de re præcepta, valeat, ut de re adiaphora relata in utilem finem. Iuramento omne robur & firmitatem dare debemus, quam possumus.

Dubitat

Dubitat quis de adiaphoria, tum tenetur insistere in via tutiore. Nam in dubiis animæ semper eligenda est via tutissima. At via tutissima est imitari exempla Christi & apostolorum. *Qui verò ut a Deo mandatum est, sine adoratione accipiunt., securi sunt se a mandato Dei non deflecte-re: qua securitate nihil melius est cum quid operis instituimus. Habemus exemplum Apostolorum,&c.* Ait Calvinus institut. lib. 4. cap. 17. sect. 35. Eadem de observatione anniversaria dierum & cæteris articulis dici possunt. Sed ut ad primum redeam, asserimus ut prius protestati sumus non esse res adiaphoras, has putiditas quinque Ceremonias. In colloquio Andreapolitano Ministrorum unus palam professus est se probaturum non esse res adiaphoras, cum episcopi sæpius inculcassent obtemperandum Regi in adiaphoris. Atque hæc de juramenti obligatione.

Extenditur quandoque juramentum, idque duobus modis, vel ad universitatem ceu communitatem, ut vulgo vocant, vel ad successores & hæredes. Ioschuæ & principum juramentum extendebatur ad populum propter relationẽ illa quæ erat inter principes repræsentantes & populum repræsentatum, Iosch. 9. 15. Habuit etiam aliam extensionem iuramentum illud ad posteros. Nam robur & effectus juramenti illius transmissum fuisse ad Saulem patet ex historia 2. Schemuel. 21. Iuramentum est quidem actio personalis, & vinculum eius est spirituale. Sed materia huius personalis actionis est quandoque alia actio personalis, ut in persona propria subire onera vel munia personalia, ut servire, operari &c. Et hæc dicuntur personalia juramenta. Aliquando versantur circa dispositionem rerum extra personam, ut alienationem vel donationem rerum & hæc dicuntur realia. Realia sæpissime transeunt in hæredes. Ad modum realium fuit juramentum Ioschuæ & principum. Votum in baptismo est votum reale, transiens ad semen. In Ecclesia nostra votum fecerunt parentes de professione religionis secundum Confessionem fidei. Cum renovatur fœdus illud solenne in baptismo, & quoties renovatur an non manet natura voti ut sit votum reale. Renovato igitur fœdere particularibus syngraphis juratis juramentum erit reale. Nam juramentum sapit naturam actus cui adjungitur. Si promissio igitur in sacro fœdere sit non solius restipulantis, sed etiam seminis, an non juramentum accedens ad illam restipulationem transit robore & effectu ad semen. Votum igitur in baptismo transit ut

votum ad posteros. Votum juratum in renovatis fœderibus cum iuramento transit ut votum iuratum. Votum in fœdere renovato absque iuramento transit ut simplex votum. In renovato fœdere anno 1596 erat votum absque iuramento, nisi quod levatione manuum adhibita forte interpretandum sit iuramentum. Nationalis Synodus in fœdere renovato anno 1596 repræsentabat totam Ecclesiam, eiusque votum transit ad posteros, ut iuramentum Ioschuæ & principum.

Quod ad durationem obligationis iuramenti nostri ligat durante vita, ut patet ex verbis promissoriis iuramenti. Qui in Societate aliqua aut Collegio iurant in statutum aliquod, v. g. quod non incedent armati sub Dio noctu: non sunt tamen periuri, etsi vagentur noctu armati, mutato statuto. Quia in ipsorum juramento subintelligebatur tacita conditio, nempe durante statuto, vel sicut statutum est. At in nostro juramento alia est ratio. Nam materia est Confessio fidei, quæ non debet esse annua aut Menstrua, ut inquit Hilarius, aut mutabilis, ut collegiorum, societatum, aut Rerum publicarum statuta. Ideo in iuramento nostro jurans ligat se ad tuendam, & firmiter retinendam professionē fidei, & religionis, tum in doctrina, tum in disciplina omnibus diebus vitæ suæ. Iuramentum à principio licitum servandum est, nisi nova emergente ratione, & causa, postea vergat in peiorem exitum, id est dispendium, vel interitum æternæ salutis. At adversarij, puto non dicent omisionem harum ceremoniarum iam vergere in dispendium vel interitum salutis, imo contra testati sunt in illa pseudosynodo.

Quandoquidem igitur non cessat obligatio juramenti nostri, quæritur an non alius quis tollere potest. Dico neminem posse. In juramento assertorio est Deus testis: in promissorio est sponsor & fideiussor promissionis præstandæ: in voto est creditor, cui acquiritur obligatio. Iuramentum nostrum non est simplex iuramentum, sed votum iuratum, ideo Deus creditor. Nisi ille condonaverit promissum, quis condonare potest. Imo debitum vult solvi in forma specifica & non alia: suam monetam non adulterinam agnoscet. Condonatione igitur non tollitur nostra obligatio.

At irritum potest reddi dicet quis, & hoc modo tolli obligatio. Nam in omni iuramento intelligitur conditio nempe *Salvo iure superioris:* Superiores nostri Rex & Syno ius generalis solverūt nos istius juramenti vinculo. Respondeo, verum est, quod pater vetere Romanorum iure irritum poterat reddere votum, vel iuramentum filij nondum emancipati

pati,& dominus servi nondum manumissi, quia habebant potestatē dominativam,ut vocant, in materiam voti vel iuramenti eamque subtrahere poterant, & sic irritum reddere iuramentum. Quia acquisiverunt non sibi,sed patri, & domino. Superiores nostri de quibus supra, non habent hanc potestatem dominativam in bona nostra temporalia , nedum religionem , qualem habuit pater vel dominus. Habent administrationis & iurisdictionis potestatem secundum leges in bona temporalia. At religio pendet a nulla potestate terrena. Possum iurare in veram religionem reclamantibus Superioribus: nec possunt illi irritum reddere iuramentum, etsi habeant potestatem iurisdictionis in personam. Ligare corpus , sed solvere animam non possunt. Præterea exuit se potestate sua Superior , quando tacito vel expresso consensu Superioris præstatur iuramentum. Occurrant iura contraria: v.g. Debitor juravit creditori se non migraturum e tali civitate , nisi prius dissolutis nominibus, interim vocat illum Superior ante solutionem , an pareret superiori. Non, respondent Canonistæ & Theologi, si tacito vel expresso consensu Superioris præstitit iuramentum. At sic nos juramentum suscepimus animati non modo consensu,sed etiam exemplo Regiæ Maiestatis. Episcopus Eliensis in Tortura Torti p. 81 82 habet hæc verba. *Integrum iam hoc illi non est. Nam quod, cum ea qua decet reverentia, dictum volo , non semel periurus sit, sed bis , si te audeat. Qua enim , si qua est fidei bis data conscientia , vel conscientia , vel fide ferret in regnis suis ritus vestros , vel usum eorum publicum , qui suscepta primum Scotiæ, suscepta dein Angliæ corona Regia , utrobique solenni ritu jusiurandum Deo præstitit de conservanda in statu suo illa colendi Dei formula, nec alia, quam quæ in Regnis suis tum plubice recepta, & utriusque gentis legibus stabilita esset. Quarum etiam se tum legum quoque, non minus quam religionis sanctissime in se suscepit defensorem fore. Eo autem hoc tuum Consilium tendit, ut novator sit ut periurus sit, ut uterque sit: esset enim uterque , si hoc tam gravi crimine vel coronæ suæ vel vitæ etiam securitatem redimeret.* Si Episcopi iudicio permittere non potest in Scotia ritus Romanos, nec imperare potest. Similiter consensu Synodi generalis præstitimus iuramentum. Præterea in ipsa Synodo renovatum fœdus , an alia Synodus irritum potest reddere fœdus illud. An comitia Regni posteriora irritū possunt reddere iuramentum præstitū Regi in prioribus comitiis. Singuli non possunt irritum reddere iuramen-

ramentum quia singuli jurati omnium fere ordinum cives. Communiter & collective non possunt absque perfidia & conspiratione contra veritatem. Si collective omnes non possunt, nec representative in aliqua Synodo possunt.

Dispensare quis potest? Assertorij iuramenti materia iam in necessitatem transiit, non pendet in futurum. Revocari non potest, ideo dispensationi locus non est. Iurans asserit se ex certa scientia iurare. Qui iurat ut certum, quod non certo scit in actu excercito, ut aiunt, dicit falsum, videlicet se certo scire quod non certo scit. Vel tunc fuimus periuri in assertorio, vel nunc in promissorio jutamento. Et si purum esset promissorium, quis dispensare potest præsertim ubi materia, ut dixi, à nulla potestate terrena pendet. Quid est dispensare, nisi condonare: & condonare quis potest, nisi solus Deus.

Qui iuratus est in statuta alicuius Societatis aut Sodalitii tenetur præstare obedientiam activam in fundamentalibus, & quæ ad Societatis statum conservandum spectant. In minus principalibus, tenetur præstare obedientiam activam, vel passivam subeundo mulctam vel pœnam. At in nostro iuraméto, quoad materiam nihil leve est, nec alia statuitur pœna quam æterna damnatio. Nostri ne ecclesiasticis quidem censuris castigari iusiurandum violantes volunt, imo censuris ad violandum adigunt. Cum Agathocle canunt, coenati juramenti religionem evomamus. Sed *Contempta iurisiurandi religio ultorem habet Deum.*

PAG. 31. l. 14. & 15. Lege. Nam iuramenti nostri materia erat religiosa promissio facta Deo, & quidem dere sacra & licita.

Sequitur viri Clarissimi & undiquaqu e doctissimi A Meluini Anti-tami-cami-categoria.

PRO

Balcarres

PRO SVPPLICI EVANGELICORVM MINISTRORVM IN ANGLIA

Ad

Sereniſsimum Regem contra Larvatam geminæ Academiæ Gorgonem Apologia, ſive Anti-tami-cami-categoria,

Authore *A. M.*

Reſponſum non dictum.



Nſolens, audax, facinus neſandum,
Scilicet, poſcit ratio ut decori,
Poſcit ex omni officio ut ſibi mens
Conſcia recti
Anxiam Chriſti, vigilemque curam
Quæ pias terris animas relictis
Sublevans deducit in aſtra, nigroque
Invidet Orco,
De ſacri caſta ratione cultus,
De ſacroſancti officij decoro,
Supplicem ritu veteri libellum
Porgere Regi:
Simplici mente atque animo integello,
Spiritu recto, & ſtudijs modeſtis,
Numinis ſancti veniam, & benigni
Regis honorem
Rite præſantem: Scelus expiandum
Scilicet tauro, & ovium ſuumque

Millibus centum, voluisse nudo
Tangere verbo
Præsulum fastus: monuisse ritus
Impios, deridiculos, ineptos,
Lege, ceu labes maculasque, lecta ex
Gente fugandos.
Iusque-iurandum ingemuisse iura
Exigi contra omnia, tum misellis
Mentibus tristem laqueum inijci per
Fasque nefasque.
Turbida illimi crucis in lavacro
Signa consignem? magico rotatu
Verba devolvam? sacra vox sacratâ im-
Murmuret vnda
Strigis in morem? Rationis vsu ad-
Fabor infantem vacuum? canoras
Ingeram nugas minus audienti
Dicta puello?
Parvulo impostis manibus sacrabo
Gratiæ fœdus? Digitone sponsæ
Annulus sponsi impositus sacrabit
Connubiale
Fœdus æternæ bonitatis? Vnda
Num salutari mulier sacerdos
Tinget in vitam, Sephoramque reddet
Lustrica mater?
Pilei quadrum capiti rotundo
Rite quadrabit? pharium Camillo
Supparum Christi, & decus Antichristi
Pontificale?
Pastor examen gregis exigendum

Curet

Curet invitus, celebrare cænam
Promptus arcanam, memorando Iesu
Vulnera diræ?
Cantibus certent Berecinthia æra
Musicum fractis, reboentve rauco
Templa mugitu? Illecebris supremi ah
Rector Olympi
Captus humanis; libitumque nobis
Scilicet, Regi id Superûm adlubescet:
Somniumque ægri cerebri profanum est
Dictio sacra.
Haud secus lustri lupa Vaticani
Romuli fæcem bibit: & bibendum
Porrigit poc˄lo populisque, et ipsis
Regibus aureo.
Non ita æterni Wittakerus acer
Luminis vindex, patriæque lumen
Dixit aut sensit: neque celsa summi
Penna Renoldi,
Certa sublimes aperire calles
Sueta cælestes iterare cursus,
Læta misceri niveis beatæ,
Civibus aulæ.
Nec Tami aut Cami accola saniore
Mente, qui cælum sapit in frequenti
Hermathenæo, & celebri Lycæo
Culta juventus;
Cuius affulget Genio Iovæ lux:
Cui nitens Sol justitiæ renidet:
Quem jubar Christi radiantis alto
Spectat Olympo.
Bucerum laudem, an memorabo magnum.

Martyrem? Gemmas geminas renati
Aurei sæcli: duo dura sacri
Fulmina belli.
Alterum Camus liquido recursu
Alterum Tamus trepidante lympha
Audijt, multum stupuitque magno
Ore sonantem.
Aune mulcentem Rhodanum & lemannum
Prædicem Bezam, viridi in senecta?
Octies cujus trepidavit ætas
Claudere denos
Solis anfractus, reditusque, & ultra
Quinque procurrens spatiosa in annos
Longius florem viridantis ævi
Prorogat & ver.
Oris erumpit scatebra perenni
Amnis exundans, gravidique rores
Gratia fœcunda animos apertis
Auribus implent
Major hic omni invidia, & superstes
Millibus mille & Sadeele & omnium
Maximo Calvino, alijsque veri
Testibus æquis;
Voce olorina liquidas ad undas
Nunc canit laudes Genitoris almi:
Carmen & nato canit eliquante
Numinis aurâ
Sensa de castu sacra puriore
Dicta de cultu potiore sancta
Arma quæ in castris iugulent severi
Tramitis hostes
Cana cantanti juga ninguidarum

Alpium

Alpium applaudunt, resonantque valles:
IVRA concentu memorum sonoro,
Et pater Ister
Consonant longe: pater & bicornis
Rhenus assensum ingeminat: Garumna,
Sequana, atque Arar, liger, insularum &
Vndipotentum
Magna pars intenta Britannicarum
Voce conspirat liquidà: solumque
Et salum cœli æmula præcinentis
More modoque
Concinunt Bezæ numeris modisque
Et polo plaudunt: referuntque leges
Lege quas sanxit pius ardor & Rex
Scotobritannus.
Sicut edictum in tabulis ahenis
Servat æternum pia cura Regis
Qui mare & terras variisque mundum
Temperat horis.
Cujus æqualis soboles parenti
Gentis electæ pater atque custos:
Par & ambobus veniens utrinque
Spiritus almus.
Quippe tres vnus Deus, vnus Actus
Vna natura: est tribus vna virtus
Vna majestas, Deitas & vna,
Gloria & una
Vna vis immensa, perennis vna
Vita, lux vna & sapientia vna
Vna mens, vna & ratio, vna vox &
Vna voluntas
Lenis indulgens facilis benigna

Dura & inclemens rigida & severa,
Semper æterna, omnipotens & æqua
Semper & alma.
Lucidum cujus speculum est reflectens
Aureum vultus jubar & verendum,
Virginis proles sata cælo, & alti in-
Terpres Olympi.
Qui Patris mentemque animumque sancti
Filius pandit face noctilucâ
Sive doctrinæ documenta, ceu com
Pendia vitæ
Publicæ, privæ, sacra scita Regni
Regis ad nutum referens; domusque
Ad voluntatem Domini instituta
Singula librans
,, Luce quam Phœbus melior refundit
,, Lege quam legum tulit ipse lator
,, Cujus exacti officij suprema est
Norma voluntas.
,, Cæca mens humana, hominum voluntas
Prava, & affectus rabidi: indigetque
Luce mens, normâ officij voluntas,
Lege libido.
Quisquis hanc surda negat aure, & orba
Mente dat ferri rapidis procellis,
Ter quater caudex, stolidusque & omni ex
Parte misellus.
Quisquis hanc prona bibit aure, quâ se
Fundit vbertim liquidas sub auras
Ille ter prudens, sapiensque & omni
Ex parte beatus.
Ergo vos Cami proceres, Tamique

Quos

Quos viâ flexit malesuadus error
Denuo rectum duce Rege Regum in
Sistite callem
Vos metus tangit si hominum nec ullus,
At Deum fandi memorem & nefandi
Vindicem sperate, & amæna solis
Tartara Diris:
Quæ manent sontes animas, trucesque
Præsulum fastus; male quos pervrit
Pervigil zelus vigilum, & gregis cus-
Todia pernox
Veste bis tincta Tyrio superbos
Murice: & pastos dape pinguiore
Regiâ quondam, aut Saliari inunctâ ab
Domine cœna.
Qualis vrsini Damasique fastus
Turgidus, luxuque ferox, feroque Ammianus Marcell. lib. 27.
Ambitu pugnax, sacram & ædem & urbem
Cæde nefanda
Civium incestavit: & ominosum
Traxit exemplum veniens in ævum
Præsulum quod nobilium indecorus
Provocat ordo.
Quid fames auri sacra? quid Cupido
Ambitus diri fera non propagat
Posteris culpæ? mala damna quanta
Plurima fundit?

FINIS.